הלכות תלמוד תורה וכיבוד רבו

21.

DISSERTATIO INAVGVRALIS PHILOLOGICA DE ERVDITIONE IVDAICA

QVAM

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

PRO CONSEQVENDIS

SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO

ANDREA GEORGIO WAEHNERO,

Lingu. Or. P. P. O.

PRAECEPTORE SVO DEVENERANDO

D. V. IANVAR. MDCCXLII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR

IOANNES LVDOVICVS PACHT,

LYCEI MÜNDENS. CONR. DESIGN.

GOTTINGAE,

APVD ABRAM VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

VIRIS ILLVSTRIBVS CONSVLTISSIMIS
ET AMPLISSIMIS

REIPVBLICAE MVNDENSIS

CONSVLIBVS
SYNDICO
SENATORIBVS

DOMINIS SVIS PATRONIS

ET PROMOTORIBVS

OMNI

OBSERVANTIAE AC PIETATIS

CVLTV

AD CINERES VSQVE PROSEQVENDIS

HASCE

DE

ERVDITIONE IVDAICA LVCVBRATIONES IN GRATI ANIMI TESSERAM

SACRAS ESSE CVPIT

VT SIBI

LYCEOQVE MVNDENSI

CVI SE PRAECEPTOREM DEDERVNT

CONSTANTER FAVEANT

OFFICIOSISSIME ROGAT

ET SE

MVNVS SIBI DEMANDATVM DEBITA CVM INDVSTRIA ADMINISTRATVRVM PROMITTIT

IO. LVDOVIC. PACHT.

PROLEGOMENA.

§. 1.

Eruditionis pretium apud omnes gentes & antiquitas.

Nihil homine eſt dignius, quam ut ſummo ſtudio excolat, quo cetera animantia antecellit, rationis uſum, verique inquiſitionem atque inveſtigationem. Veriſſimeque eſt dictum, quod Cicero ſcribit: (*a*) *Ex quatuor autem locis, in quos honeſti naturam vimque diuiſimus, primus ille, qui in veri cognitione conſiſtit, maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiae cupiditatem: in qua excellere pulcrum putamus: Labi autem, errare, neſcire, decipi, & malum & turpe ducimus.* Neque rectius hac de re praeceperunt ſapientes, quam egerunt, ex quo orbis ſtetit, homines illi, in quibus aliquid humani fuit. Ad ultima tempora, quantum quidem per monumenta hiſtorica licet, recurras: offendes in ſingulis periodis, qui in rebus cognoſcendis, anquirendis, audiendis & addiſcendis ſtudium operamque poſuerunt & ipſi, & erudire ceteros allaborarunt. Quare eruditione vix antiquior orbis eſt. Neque ulla tam barbara gens fuit, quin aliquem illius ſenſum haberet. Inter cultiores ſane & doctrina & eruditi in quam maximo nunquam non habiti ſunt pretio.

§. 2.

(*a*) Offic. lib. 1. c. 6.

Eruditio Iudaica.

§. 2. Quo vero nobilius generique humano utilius sit id, circa quod opera nostra studiumque versatur, eo cognitione dignius esse majorique cura sectandum, vel inuiti illi, qui in res non necessarias studium suum conferre consueuerunt, largiri cogentur. Suum igitur scientiis omnibus ad vitae hujus utilitatem, jucunditatem & commoditatem facientibus, maneat pretium. Praeferatur haec illi, pro utilitatis ex ea sperandae magnitudine. Palmam sane ceteris omnibus praeripiet *sapientia* & *eruditio* illa *Iudaica*; quam ab ipso summo numine acceptam genti suae tradiderunt Moses &, quos appellare consuevimus, prophetae; & quam, genti huic antea propriam, ad nos quoque Christi legati derivarunt. Haec enim non solum quomodo in hac vita, verum etiam post fata, veram & non desituram felicitatem consequi possimus, docet & commonstrat.

Cuius fata ante Babyl. exilium.

§. 3. Non quidem haec *ante Mosen* prorsus incognita fuit hominibus, ceu ex sacris monumentis patet. Quin, si Iudaeorum traditionibus credere fas est, eam non solum cognitam habuerunt & excoluerunt pii gentis suae proavi; verum etiam sua habuerunt *lycea* (בתי מדרשות), in quibus divinae sapientiae cupidos ad eam erudirent. Sic *Iacobus*, Abrahami nepos, per 14 annos *in Semi & Eberis lyceo* institutus dicitur. (*b*) Plerique tamen hominum salutarem hancce doctrinam usque eo neglexerunt, ut intra angustissimos cancellos contineretur. *Post Mosen* nemini sane Israëlitae ignota esse debuisset. Scire enim potuissent omnes; cum viri divini, qui Mosis vestigia premerent, nunquam inter eos desiderarentur. Accedit,

(*b*) Megillah, fol. 16, 2. 17. 1.

dit, quod de *prophetarum lyceis* (בתי מרשות הנביאים, vel בתי רונים של נביאים) nonnulla in ſacris deprehenduntur veſtigia. (*c*) Quibus ſi addas ea, quae in Iudaicis traditionibus de illis habentur; non fuit, cur de doctrinae defectu iſtis temporibus conquererentur. Attamen illa idololatriae inſania, qua haec gens toties, fere usque ad Babylonici exilii tempora, res ſuas proſtravit, arguere videatur, tunc temporis non niſi perpaucos ſalutari illa doctrina imbutos, & vulgus in denſiſſimis erroris & inſcientiae tenebris verſatum fuiſſe. Nihil de horum temporum inter Iudaeos doctrina *deque patriarcharum & prophetarum Scholis* iam dicemus; cum incerta ſint omnia. Fingere autem nec iuuat, nec viros cordatos decet. Si quid tamen aliquando dicendum ſit; ſola illa exponemus, quae ex monumentis ſacris illuc trahi debent, & Talmudicas traditiones. Harum enim, ſi vel fidem iis denegemus, aliquis tamen eſſe poſſit uſus: figmentorum autem vel noſtrorum vel ceterorum plane nullus.

§. 4. *Ex Babylonico exilio* non ſolum nouam reipublicae formam, verum etiam *majorem philoſophandi & diſcendi ardorem*, in Palaeſtinam ſecum apportarunt reduces Iudaei, illis, quos ſuos cives in Babylonia reliquerant, non deteriores futuri; probe memores, quod felix ſit respublica, in qua aut philoſophi imperent, aut imperantes philoſophentur. Hinc iuſtum eruditioni ſtatutum fuit pretium. Non contemnendi eruditis ſunt decreti honores: quibus incitabantur ceteri, ut nec ipſi contemni vellent. Quo factum eſt, ut aliquot iam ante Chriſtum natum ſeculis, illius aetate, & ſeculis poſt illum

Poſt Babyl. exilium.

(*c*) 1 Sam. X, 5. 6. 10. 11. 12. 2 Reg. II, 3. 15 - 18.

illum natum prioribus, tantum doctrina apud Iudaeos valeret, quantum vix apud ullam aliam gentem; eaque eruditorum esset & copia & auctoritas, quae modum fere excederet. Neque in hunc usque diem iste discendi fervor apud Judaeos penitus deferbuit. Habuerunt enim secula recentiora viros inter eos non paucos, ut *Isaacidem*, ut *Maimonidem*, ut *Aben Esram*, ut *Abarbanelem*, ceteros enim silentio praeterimus, quos *magna orbis eruditi lumina* suo jure appellare possis; a quibus in sacris studiis Christiani Theologi & Philologi non pauca acceperunt, per magno rei Christianae emolumento; accepturi maiora, si maiorem cum illis contrahere familiaritatem non tantopere displiceret; hoc est, si illorum lingua loqui, qua & ipsi utriusque foederis θεόπνευστοι viri usi sunt, plures discere vellent, exiguum laborem, cui tantum propositum praemium est, intempestive non reformidaturi. At vero facile invenias Judaeum vel illiteratum, qui Hebraica rectius calleat, quam qui apud nos ea quotidie crepant. Tanti sane literas faciunt, ut gravius Judaeum offendere nequeas, quam si eum *amhaárez* (עם הארץ) i. e. illiteratum, appellaueris.

Dissertationis nostrae argumentum.

§. 5. De ista iam, quae aliquot ante & post Christum natum seculis apud Judaeos fuit, doctrinae facie paucis exponemus; addituri, qualis ad hunc vsque diem sit. Nemo vero existimet, singula capita nos persequi velle, circa quae doctrina eorum versatur. Tum enim Corpus Juris Judaici, nostrum mole vel superaturum, nobis conscribendum foret. Doctorum Judaicorum non nisi spectatores in praesenti erimus, non auditores. Auditoria eorum, non ut discamus, sed ut consuetudines & mores docentium & discentium spectemus, ut illos in cathedra, hos in subselliis intue-

amur,

amur, ingrediemur. Quae apud eorum doctores *de discendi docendique nec non doctorum discipulorumque officiis & iuribus habentur*, ea explicare conabimur. Confisi, non inutilem neque iniucundum nostris hominibus huncce laborem futurum; cum non paucis noui foederis locis per haec lux sit affundenda: quorum quidem ea, quae inter scribendum inciderint, indicabimus; lectoribus relicturi, ut cetera, prout visum fuerit, in usus suos ipsi conuertant. Delectabit vero etiam obseruasse, quomodo ipsorum mores cum nostris conspirent, & quomodo a nostris dissideant. Capitibus novem res absolvetur: quorum I. *Eruditionis Judaicae naturam*; II. *Obligationem eruditioni sacrae operam dandi*; III. *Obligationem ceteros erudiendi*; IV. *Docentium didactrum*; V. *Ludos puerorum*; VI. *Academias provectiorum*; VII. *Promotionem*; VIII. *Officia doctorum & discipulorum*; IX. *Officia eruditorum & imperitorum*, sistet.

§. 6. Confidimus, nos non facile quid eorum, quae utilia nobis esse poterunt, praetermissuros; licet non omnes, quos inspicere optaveramus, libri ad manus sint. Nihil autem ex nostratibus sumsimus; cum dulcius ex ipso fonte bibantur aquae (*d*). Veritatis pro viribus studiosi, res, quales invenimus, bona fide retulimus; Judaeos nec accusantes, nec excusantes. Judicium & de illis & de nobis esto penes aequum lectorem. Aequitas nostra non displicebit cordato lectori, qui in disputando rumores non ponit ante veri- Tractandi ratio.

ta-

(*d*) In excitatis Talmudis locis non semper ipsissima nostra verba reperiet benevolus lector; interdum quoque non nisi praemissas, ex quibus id, quod diximus, prona consequentia deducunt Judaei doctores.

tatem. Non criminabitur, Judaeorum nos agere propugnatores ; ſicubi oſtendimus, quibus in locis irrito conatu eos ſimus aggreſſuri. Non iraſcetur, ſi quando monuimus, illorum moribus culpabiliores noſtros eſſe. Scripturae ſacrae effata, quibus res ſuas probant Judaei, ex ipſorum mente a nobis latine teddenda fuiſſe, intelliget. Noſtram non accuſabit liberalitatem, quod res, quae exiguam vel nullam nobis utilitatem allaturae viderentur, ſilentio non praeterierimus. Non fecimus id; ne lectorem rerum Judaicarum curioſum nimis multis privaremus. Poſſint ſuo quoque tempore utilitatem non contemnendam afferre, quae nullam primo intuitu videantur allatura. Id quod ſemper praevideri non poteſt. Quate in exceſſu, quam defectu, peccare maluimus. Atro carbone notet benevolus lector, quae ſibi non profutura exiſtimet. Diſcernet denique facile, ubi ex noſtra, & ubi ex eorum mente ſimus locuti, cum brevitati nonnunquam ſtuduerimus; ne, *inquiunt*, *praecipiunt*, *ſtatuunt*, ſaepius eſſet interponendum.

CAP. I.
DE
ERVDITIONIS IVDAICAE NATVRA.

§. 7. Eruditio (חכמה), quae quam maxime olim inter Judaeos floruit,& in hunc uſque diem ſepulta non eſt,maxime in Polonia,vel *propria illis* eſt, quam *ſacram*, vel ceteris cum gentibus *communis*, quam *profanam* appellabimus. Eruditio Judaeorum duplex.

§. 8. *Sacra* nomine *ſapientiae* (חכמה) κατ' ἐξοχὴν, (e) vel etiam *ſtudii legis* (לימוד תורה vel תלמוד תורה,) apud eos venire ſolet; & cultum ipſorum ſacrum, rempublicam & domeſticam concernentium legum, ſtatutorum, rituum & conſuetudinum peritiam ſub ſe comprehendit. Sacra quae ſit.

§. 9. Cum vero *duplicem* Judaei Rabbanitae habeant *legis* formam, *ſcriptam* (תורה שבכתב) (f) *& ore propagatam* (תורה שבעל פה) (g), huiusque vel *hiſtoricam cognitionem* vel Sacrae tres ſunt primi ordinis partes.

(e) In N. T. appellatur σοφία, 1 Cor. I. 19. 21. II, 1. Joſepho φιλοσοφία. Ita & in N. T. Col. II. 8. Vbi tamen ſoli doctrinae ore acceptae hoc nomen tribuitur.

(f) Lex ſcripta ſive codex ſacer V. T. in N. T. appellatur: ἡ γραφή, 1 Cor. IV. 6. Illiusque ſtudium: Σοφία τοῦ θεοῦ, 1 Cor. 1, 21. 24. II. 7.

(g) In N. T. 1.) nonnunquam etiam vocabulum νόμος tam late accipitur, ut *legem ore acceptam* vel ſimul vel ſolam etiam ſignificet. E. g. 1 Cor. IX, 20: Τοῖς ὑπὸ νόμον ὡς ὑπὸ νόμον, ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον κερδήσω. Alias doctrinae Judaeorum ore propagatae haec in N. T. tribuuntur nomina: 2.) Σοφία λόγου, 1 Cor. I, 17. 3.) Σοφία τῶν σοφῶν, 1 Cor. I, 19. 4.) Ἀνθρωπίνη σοφία, vel Σοφία ἀνθρώπων, 1 Cor. II, 4. 5. 13. 5.) Σοφία σαρκικὴ, 2 Cor. I, 12. 6.) Σοφία τοῦ κόσμου τούτου. 1 Cor.

vel *philoſophicam* (גמרא); tres *ſacrae* eorum eruditionis ſunt partes primariae. Prima, ſi quis *ſacrae ſcripturae* operam dederit; ſecunda, ſi *Miſchnae*; tertia, ſi *Gemarae*. Quibus ſecundariae nonnullae accedant.

Scripturae ſacrae ſtudium.

§. 10. *Scriptura ſacra* (תורה שבכתב) & ſtudium illi conſecratum *lectionis* (מקרא) nomine venire ſolet; & *legere* (קרא) (*h*) dicitur, qui illi operam dat. Haec autem eruditionis pars non ſolius *pentateuchi* (תורה), verum etiam *prophetarum* (נביאים) & *hagiographorum* (כתובים), id eſt, *totius ſacri codicis* (העשרים וארבע), lectionem ſub ſe complectitur. Quippe totus V. T. ſacer codex apud Judaeos nomine *legis* (תורה) ſaepiſſime venire ſolet (*i*)

Miſchnae ſtudium.

§. 11. Pars altera huius eruditionis ea eſt, quae *uberioris doctrinae* (משנה) nomine venire ſolet. In qua qui ſe exercet, de eo demum praedicant, quod *diſcat* (שנה). Eſt haec *legis ore traditae* (תורה שבעל פה) ſtudium. Huc pertinet textus Talmudis ſiue *Miſchna* (משנה). Eam autem cum legis ſcriptae non niſi explicationem eſſe conten-

1 Cor. I, 20. III, 19. 7.) Σοφία τȣ̃ αἰῶνος τέτȣ, 1 Cor. II, 6. 8.) Ibidemque Σοφία τῶν ἀρχόντων τȣ̃ αἰῶνος τέτȣ. Largietur hoc facile quilibet, qui memor ſit, per pſeudapoſtolos Judaeos, ad Judaiſmum artibus ſuis eos retrahere conantes, turbatam fuiſſe Chriſtianam Corinthiorum eccleſiam. His igitur ad Corinthios ſcriptae Pauli epiſtolae ſunt oppoſitae, non gentilium philoſophiae. Totum earum argumentum & connexio id aperte docet. 9.) Φιλοσοφία καὶ κενὴ ἀπάτη κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ στοιχεῖα τȣ̃ κόσμȣ, Coloſſ. II, 8.

(*h*) Luc. X, 26. ἐν τῷ νόμῳ τι γέγραπται; πῶς ἀναγινώσκεις.

(*i*) Vid. Sanhedrin, fol. 91, 2. ubi quaeritur: מנין לתחית המתים מן התורה, *Quibus quaeſo legis effatis mortuorum reſurrectio probatur?* Afferunturque loca, Joſ. 8, 30. Pſ. 84, 5 Eſ. 52, 8. Conf. Sanhedr. fol. 92, 1. Eodem modo vocabulum νόμȣ in N. T. non raro pro toto V. T. codice accipitur. E. g. 1 Cor. XIV, 21: ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται. Et verba tamen excitata Eſ. XXVIII, 11. 12. leguntur.

tendant; ceteros quoque in *sacrum codicem commentarios* (פירוש תורה שבכתב) huc referunt. Quin ante doctrinae corpus per Rabbi Iudam sanctum compilatum *Mischna* id est, codicis sacri statutorumque Iudaicorum vberior explicatio, iam fuit.

§. 12. Supereſt *sublimior* illa & *perfecta eruditio* (גמרא), cui qui operam det vel ea sit imbutus, eruditi demum nomen meretur; diciturque de solo eo, quod *perfectae eruditioni studeat*, vel homo sit perfecta eruditione (גמר); Vel is solus *familiariter eruditis vti* (שמש תלמידי חכמים) quoque dicitur. Haec vero per omnem theologiam & juris prudentiam totiusque vitae rationem latissime patet; vt non solum sciat quis, quid vetitum (איסור) sit, quid licitum (היתר); sed vt legum causas videat, similitudines comparet, & cognitis adjungat atque annectat incognita, totumque legum omnium nexum inspiciat. Dedit legum rationes, in Mischna parum obvias, ille in hanc commentarius, qui hac ipsa de causa *Gemara* (גמרא) appellari consueuit. Qui igitur liber supremum hunc eruditionis gradum adpetentibus prae ceteris est legendus: non tamen neglectis iis, quae rerum controuersarum periti arbitri recentiores argumenti ejusdem diuersa methodo dederunt vel systemata vel compendia (הפוסקים הנמשכים אחריה). Quemadmodum vero non sola Gemara est, quae Gemaram, id est, sublimiorem hanc eruditionem, continet; licet primus & praecipuus ejus fons sit: ita nec omnia in Gemara obuia ad perfectam hanc eruditionem spectant. Qualia sunt, discursus ad morum emendationem spectantes (אגדות), naturalia, medica, & omnia, quibus nihil cum legibus commune est. Et haec non solum tuto ignorari posse

Gemarae studium.

Iudaei ſtatuunt; verum etiam de iis aliter ſentire religioni ſibi non ducunt. Contra ea ante Gemaram iam fuit Gemara. Id eſt, doctores Miſchnici philoſophicae rerum ſuarum cognitioni operam iam dederunt, legumque rationes & cauſas ſunt ſcrutati. Quorum, recentiorumque, diſputationes in Gemarae corpus dein ſunt relatae. Iudaeos ſi audias, & *Miſchna & Gemara*, eo ſenſu, quo doctrinam uberiorem & perfectam ſignificant, ipſi *Moſi originem debent.* (*k*)

Placita doctorum.

§. 13. Ad ſecundi ordinis Iudaicae doctrinae capita progredimur. Habent praeterea Iudaei *recentiora doctorum* ſuorum *placita* (חידושי סופרים) *& ſtatuta doctorum* (תקנות מרדבנן); quae lege diuina vel Moſaica injuncta non eſſe concedunt; pie tamen vel a patribus vel propheticis vel doctoribus, ad faciendam *legi ſepem* (סייג לתורה), inſtituta contendunt. Harum quoque imperitum eſſe non debere, qui eruditi inter eos nomen tueri velit, facile intelligitur.

Cabbala.

§. 14. Nihil frequentius, quam *Cabbalam* (קבלה) i. e. *doctrinam acceptam,* eos crepare audias. Non vero vno ſignificatu hoc vocabulum accipitur. (1) Nunc ipſius *ſacri codicis libros pentateucho recentiores* (*l*) ſignificat. (2) Nunc idem quod *lex ore propagata* (תורה שבעל פה) Hinc qui doctrinam ore propagatam ab alio edocetur, is illam

(*k*) Hoc vero eſt, quod Chriſtus & apoſtoli negant. Qui hanc doctrinam recentius hominum inuentum, quo antiqua illa Moſaica labefactetur, eſſe contendunt.

(*l*) e. g. Quando dicunt: דברי תורה מדברי קבלה לא ילפינן *Ad verba pentateuchi a verbis ceterorum ſacri codicis librorum argumentari non licet.* Vid. Halichoth Olam. Sect. II. cap. I. pag. 11. ed. l'Empereur Lugd. Bat. 1634.

lam ab eo *accipere* (קבל) (*m*) dicitur. (3) Denique *philoſophiam* vel *metaphyſicam & pneumatologiam* abſtruſam, ſymbolice ſaltem & per aenigmata tam obſcure propoſitam, ut Chriſtianum pudere non debeat profiteri, ſe eam non intelligere. Fuerunt quidem in noſtris hominibus, qui de ea ſcripſerunt: quam bene autem, ipſi viderint. Non nimium dixerim, ſi in vna Iudaeorum non imperitorum myriade vix vnum hoc mare exantlaſſe dixerim, neque hunc fortaſſe ita, ut oportebat. Hanc num ſacrae Iudaeorum eruditioni accenſere fas ſit, admodum dubito: cum inter ipſos non defuerint, (*n*) qui dubitaverint, vtrum eam commendent an vituperent. Cautum ſane eſt inter eos, ne quis humeros oneri huic ſubdere ante conetur, quam illi ferendo ſe parem eſſe ſciat, debita judicii acie munitus.

§. 15. Doctrina quoque *Moſorae* (מסורה), i. e. *traditio-nis* (*o*) nomine venire ſolet. Quod mirum non eſt, cum ſynonyma ſint *docere* & *tradere* (מסר). (*p*) In ſenſu autem ſtrictio- Maſora.

(*m*) In N. T. verba λαμβάνειν & παραλαμβάνειν eodem ſignificatu leguntur. E. g. Paulus pſeudapoſtolis exprobraturus, ipſorum doctrinam non niſi hominum figmenta eſſe, quae deo originem debere glorientur, dicit 1. Cor. IV, 7: τί δὲ ἔχεις, ὃ οὐκ ἔλαβες; εἰ δὲ καὶ ἔλαβες, τί καυχᾶσαι, ὡς μὴ λαβών; Uerum etiam de *Chriſtiano doctrina* a Chriſto eiusque apoſtolis *accepta* hoc vocabulum vſurpatur. E. g. 1. Cor. XI, 23: ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου. It. 1. Cor. XV, 3. 2. Theſſ. III, 6. &c.

(*n*) Videantur Eliae del Medico & filii eius Ioſephi Salomonis del Medico aliorumque libri Cabbaliſtici.

(*o*) In N. T. παράδοσις. Matth. XV, 2. 3. 6. Marc. VII, 3. 5. 8. 9. 13. Gal. I, 14. Coloſſ. II, 8. Verum etiam *Chriſtiana doctrina* hoc nomine nonnunquam venit. E. g. 1. Cor. XI, 2. 2. Theſſ. II, 15. III, 6.

(*p*) In N. T. παραδίδωμι, de *doctrina Chriſtiana*, Rom. VI, 17. 1. Cor. XI, 2, 23. XV, 3. 2. Petr. II, 21. Iud. 3.

ſtrictiori *ſtudium criticum in ſacrum codicem* hoc vocabulo ſignificatur. Quod quidem licet ad eruditionem ſacram ſuo quoque jure ſit referendum, pauciores tamen apud Iudaeos hodie habet ſectatores. Contra ea primis poſt Chriſtum natum ſeculis quanta cum induſtria illi incubuerint, ut codicis ſacri integritati proſpicerent, ex mira & paene taedioſa in hoc ſtudio accuratione videre eſt.

Grammatica. §. 16. Non niſi *Grammatica* (דיקדוק) ex propaedeumatis ad eruditionem ſacram manuducentibus reliqua eſt. Hac priſci, quamdiu Hebraica & Chaldaica linguae illis vernaculae fuerunt, non indiguerunt. In recentioribus autem eorum eruditis non pauci floruerunt; quibus hanc artem nos quoque debemus. At vero cum ipſi vſu potius, quam arte, Hebraica addiſcant; perpaucos hodie inter eos reperias, qui bonorum Grammaticorum nomen mereantur; nec multo plures fortaſſe inter Chriſtianos.

Ethica. §. 17. *Morum* & *decori ſcientiam* (מוסר), quam neque negligunt Iudaei, nos propemodùm neglexiſſemus. In libris eorum de moribus praecipientibus prae ceteris eminet liber *de officiis animorum* (חובות הלבבות); Qui *Rabbenu Bechai filium R. Ioſephi Pekudae* auctorem agnoſcit.

Eruditio profana quae ſit. §. 18. Sub *eruditionis profanae* (למוד שאר החכמות) nomine omnem ceterarum ſcientiarum intelligimus complexum. In quibus vix vlla eſt, quam Iudaeorum aliqui non deguſtauerint. Amant in primis Matheſin (חכמת השיעור vel הנרסה), Phyſicam (חכמת השבע), & Medicinam (חכמת הרפואה). Et his quidem in nonnullis capitibus perfecta eruditione doctores carere vix poſſunt. Ceterum doctior apud eos non habetur, qui hiſce ſcientiis

entiis bene eſt imbutus; neque indoctior, qui illis deſtitutus. In cenſum fere non veniunt; ſed ſoli oblectationi inſeruire creduntur. Quare *deambulatio in horto* (טיול בפרדס) non magis harum, quam illarum ſacrae eruditionis partium, quas ſupra recenſitas inferioris ordinis eſſe diximus, ſtudium appellari ſolet.

Eruditionis ſacrae laudes.

§. 19. Contra ea tres illas eruditionis ſacrae partes (§. 9.), quas primi ordinis eſſe diximus, encomiis ſatis ornare non poſſunt. Vti lex ſcripta in ſacris, ita ore propagata quoque ab illis, comparatur cum *igne* (אש) (*q*) *luce* (אור) (*r*) *lucerna* (נר) (*s*) *aqua* (מים) (*t*) cet.

Semidocti.

§. 20. Ab eruditione ad *eruditos* accedimus. Cum vero multitudini paucitas cedere cogatur; indocti praecedant. Primas in his teneant *Semidocti*; qui rerum quidem ſatis multarum habere poſſint cognitionem, eam vero non philoſophicam, ſed non niſi hiſtoricam. Eruditorum hoc vulgus, vel vnum etiam eorum, Judaei *populum terrae* vel *terrae filium* (עם הארץ) (*u*) appellant. Is, quem modo diximus, proprius verborum hoc loco

(*q*) Brachoth, fol. 22, 1. Num hinc lucem habent illa? Matth. III, 11: Αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. Et Act. II, 3: Καὶ ὤφθησαν αὐτοῖς διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρός.

(*r*) Sotah, fol. 21, 1. Matth. IV, 16: ὁ λαὸς ὁ καθήμενος ἐν σκότει εἶδε φῶς μέγα &c. Matth. V, 14: Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Joh. I, 4. 5. VIII, 12. IX, 5. Multisque aliis in locis.

(*s*) Sotah, fol. 21, 1. Matth. XXV, 1. 3. 4. 7. 8.

(*t*) Sotah, fol. 21, 1. Joh. IV, 10. 14.

(*u*) Joh. VII. 49: ὁ ὄχλος οὗτος ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον ἐπικατάρατοί εἰσι.

loco significatus est; indigitaturque is, qui tribus praecipuis eruditionis sacrae partibus (§. 9.) non sit instructus. Aliter *terrae filios* definire videantur doctores Talmudici,(w) nec idem de iis sentire. Dicit primus, terrae filium esse eum, qui Krischma mane & vesperi non recitet (שאינו קורא ק"ש שחרית וערבית); secundus, qui phylacteria non applicet (שאינו מניח תפילין); tertius, cujus vestes peniculamentis non sint instructae (שאין לו ציצית בבגדו); quartus, qui, cum liberos habeat, eos erudiri non curet (שיש לו בנים ואינו מגדלן לת"ח); quintus, qui legi quidem scriptae & per os traditae, non vero perfectae eruditioni, operam det (קרא ושנה ולא שמש ת"ח). Inuehamur iam, pro more, in doctores Judaeos, quorum alter alteri contradicat, & qui omnia misceant. At vero quis intempestiuae hujus iracundiae erit fructus, nisi is, ut turpiter noc demus? O! vtinam turpiter maleuoli in secus sentientes esse tandem desineremus, iisque non nisi ea, in quibus vere peccant, exprobraremus! Decipiat dicteriis suis homo ventosus se non prudentiores; quem sagaciores non possunt non ridere. Fuerunt haec fata multorum ex nostris, qui in Judaeos intempestiue sunt debacchati, vt illi, misella & pressa inter nos gens, tacere quidem cogerentur, cogitarent autem: En! illum *terrae filium* (עם הארץ)! Sed ad rem revertamur. Solus postremus ille dixit, quis hoc in sensu sit am haaretz (עם הארץ); nimirum is, qui sacrum quidem codicem & Mischnam legere & intelligere possit, rerum vero suarum cognitione philosophica non sit imbutus. Ceteri omnes nec definierunt, nec definire voluerunt, quis hoc in sensu sit *am haarez* (עם הארץ); Sed tantummodo contenderunt, his

(w) Sotah, fol. 22, 1.

his ſemidoctis meliores non eſſe, qui doctrinae ſuae conuenienter non viuerent; deditque neglectorum officiorum exemplum alter hoc, alter illud. Cumulauerunt Talmudis auctores diuerſorum doctorum effata; ex quibus, vocabulum hoc non eodem ſemper ſignificatu accipi, intelligeretur. Semidoctos hos vna cum indoctis ſimpliciter *filios hominum* (בני אדם סתם) (*x*) vel *homines* appellare quoque ſolent.

Indocti.

§. 21. Qui nobis *indocti*, vel *imperita plebs*, illi Judaeis *bohr*, vel ſi mauis *buhr* (בור) (*y*) audiunt; quo quid grauius apud illos dici fere nequit (בור גרוע מעם הארץ). Hi vero quinam ſunt? Num fortaſſe, qui in literis nihil profecerunt? Sane hi. Verum latius vocabuli hujus ſignificatus patet, (*z*) vt illi quoque includantur, *qui legem ſcriptam quidem norunt, ore propagatam autem ignorant.* (קרא ולא שנה). Cum vero ab indoctis diſtingui nequeant, qui ſemidocti quidem, moribus tamen ſint peruerſis & deprauatis, hoc nomen illis quoque tribuitur, qui honeſti & decori non obſeruantes, morum prauitate & ruſticitate laborant. (בור הוא שאין לו לא חכמה ולא מדות). Superſunt ex imperita plebe illi, quibus *pecorum campi, veruecum & ſerui pecoris* nomen competit. De quibus Tal-

(*x*) Duplici de cauſa Chriſtum τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου appellatum fuiſſe coniici poſſit. Primo quidem, quod doctores Judaei eum per contemptum בן אדם, *hominem imperitum* vel non niſi *ſemidoctum*, qui litteris ſuis imbutus non ſit, dicerent. Quibus Chriſtus: Sum is, quem me dicitis; Non vero eo, quo vultis, ſenſu; ſed quo ſenſu Ezechiel בן אדם fuit cognominatus.

(*y*) Si ſtatuas, Talmudicorum eſſe graecum μωρὸς; vt graeca multa habent: illuſtrari hinc poſſint loca, 1. Cor. I, 18. 21. IV, 10. & ſimilia.

(*z*) Sotah, fol. 22, 1.

Talmudici: (a) *Qui neque codici ſacro neque legi ore propagatae operam det, de illo codex ſacer dicit* (Jer. XXXI. 27.) *Conſeram domum Iſraelis & domum Judae ſemine hominum & brutorum.*

Viri docti. §. 22. Ex his patet, *virorum doctorum* vel *literatorum* (חכמים) nomen a Judaeis tribui ſolis iis, qui philoſophicam rerum ſuarum habeant cognitionem. Dicitur autem *literatus* vel *ſapiens* (חכם) (b) vel *ſcriba* (סופר) (c) vel *ſenex* (זקן) (d) non annis, ſed ingenii & judicii acie. Eruditum dici זקן, quaſi dicas (זה קנה חכמה,) vt vocabulum זקן ex literis initialibus harum vocum conflatum ſit, non ſerio dictum exiſtimauerim; ſed ingenii luſum eſſe; quos habent multos. Denique literato nomen quoque *Sodalis* (חבר) tribuitur. Sed & illiterato quidem, qui vero in exequendis iis, quae ſibi ab eruditis facienda injunguntur, promtus eſt & religioſus. Hi *ſodales* (חברים) in vtroque ſignificatu imperitae plebi (עם הארץ) opponuntur. Si quis ita ſit eruditus, vt *ſapiens, ſcriba* vel *ſenex* dici non mereatur; *ſodalis* appellari plerumque ſolet.

Studioſi. §. 23. *Diſcipuli ſapientum* (תלמידי חכמים) erant apud illos, qui in academiis noſtris ſunt *ſtudioſi* nondum promoti. Non raro tamen *eruditi* in genere ſignificari videan-

(a) Ibid.

(b) In N. T. σοφοὶ dicuntur *Judaei docti*, Matth. XI, 25. Luc. X, 21. Rom. I, 14. 22. 1. Cor. I, 19. 20. 26. 27. III. 18. 19. 20. *Chriſtiani docti*, Matth. XXIII, 34. 1. Cor. III, 18. VI, 5. Epheſ. V, 15. Jac. III, 13.

(c) In N. T γραμματεύς, vir *doctus Judaeus*, Matth. II, 4. V, 20. & ſaepiſſime alibi. Nonnunquam etiam *doctus Chriſtianus*, e. g. Matth. XXIII, 34.

(d) In N. T. πρεσβύτερος. E. g. Matth. XV, 2: Διατί οἱ μαθηταί σου παραβαίνουσι τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, Et alibi paſſim.

deantur. Illos quoque *filios* (בניהם) (*e*) dici videas. Nec-*non filios academiarum* (בני הישיבה); sub quo tamen nomine ipsi professores & doctores non raro quoque comprehenduntur.

§. 24. *Candidatus promotionis*, vel si mauis *neopromotus*, vel vterque, *robur doctorum* (צורבא מרבנן) i. e. discipulus acutus & judicii plenus, ingenii subtilitate ipsis doctoribus non cedens, dicebatur. Hi licet doctorum functionibus nondum fungerentur, ad id faciendum tamen apti jam erant. Candidati & promoti,

§. 25. Equidem non contemnitur vir eruditus *multae lectionis* (קורא הרבה) a Judaeis; longe tamen huic praefertur, qui *iudicii acumine pollet* (שנדקדק). Qui vir multa historica cognitione praeditus sit, *Sinai* (סיני) appellatur; qui vero iudicii acumine praepollet, *Eradicator montium* (עוקר הרים) (*f*). Propter iudicii praestantiam Animi dotes eruditorum,

(*e*) Matth. XII. 27: Καὶ εἰ ἐγὼ ἐν Βεελζεβοὺλ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσιν; 1. Cor. IV, 17: ἔπεμψα ὑμῖν Τιμόθεον, ὅς ἐστι τέκνον μου ἀγαπητὸν καὶ πιστὸν ἐν κυρίῳ. Ita saepius apostoli suos discipulos & per se conuersos appellant.

(*f*) Matth. XVII, 20: ἐὰν ἔχητε πίστιν ὡς κόκκον σινάπεως, ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ· Μετάβηθι ἐντεῦθεν ἐκεῖ, καὶ μεταβήσεται. Matth. XXI, 21: Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν ἔχητε πίστιν, καὶ μὴ διακριθῆτε, οὐ μόνον τὸ τῆς συκῆς ποιήσετε. Ἀλλὰ καὶ τῷ ὄρει τούτῳ εἴπητε· Ἄρθητι, καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, γενήσεται. Conf. Marc. XI, 23. 1. Cor. XIII, 2: καὶ ἐὰν ἔχω προφητείαν, καὶ, εἰδῶ τὰ μυστήρια πάντα, καὶ πᾶσαν τὴν γνῶσιν. Καὶ εὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν, ὥστε ὄρη μεθιστάνειν, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, οὐδέν εἰμι.

tiam *Rabbah Rav Joſopho*, multae lectionis viro, in magiſtratu praelatus fuit (*g*). In nullo pretio eſt *improbus*, cui nulla eſt Dei reuerentia (שאין בו יראת שמים) qui nomen Dei irreuerenter habet (שמזלזל שם שמים), qui in viis peruerſis incedit (הולך בדרך לא טובה). Contra ea maximi fit *probus* & bonorum operum ſtudioſus (חסיד ובעל מעשים), cuius opera ſunt probata (נאה במעשים), qui via recta incedit (הולך בדרך טובה),

Eruditionis gradus.

§. 26. Sollicite diſtinguunt inter eos, in quibus multa & exigua eſt doctrina. Orbis eruditi lumen ab illis *doctrina excellens* (מופלג בחכמה) ſalutatur: qui vero ad hunc eruditionis gradum non pertigit, *doctrina non excellens* (שאינו מופלג בחכמה). Et horum multi dantur gradus.

Induſtria eruditorum.

§. 27. Denique & inter illos diſtinguunt, quibus *aſtudiis nulla ſit intermiſſio* (שתורתם אומנותם), & eos, quibus *mercaturae ſimul*, vt diteſcant, *operam dantibus* (שמתעסקים במשא ומתן כדי להתעשר) interdum ad ſtudia datur reditus.

Dignitates eruditorum.

§. 28. Nunquam non inter Judaeos eruditi fuerunt, qui ad rempublicam accedere nolentes, vitam viuerent priuatam, diſcendo & docendo vnice delectati. Potior tamen eorum pars magiſtratus ambierunt publicosque honores. Non huius eſt loci, recenſere omnes illas *dignitates*, quibus eruditi eorum quondam fuerunt ornati. Quinque tamen vel ſex earum ſilentio praeterire non debemus. 1.) Suprema, poſt Hieroſolymam deletam, dignitas erat *Aechmalotarchae* (ראש הגולה) in Babylonia. In Palaeſtina autem ſumma 2.) *Praefidis Synedrii* Hieroſolymitani ſupremi & Academiae Rectoris

(*g*) Horaioth, fol. 14, 1.

ris (נשיא). 3.) Altera *Vice-Praesidis* Synedrii huius & Academiae Pro-Rectoris (אב בית דין). 4.) Tertia dicti κατ' ἐξοχὴν *sapientis* (חכם) id est, senatoris post hos duos primi & inter reliquos Ptofessores praecipui. Dummodo haec distinctio fuit; qua de re inter ipsos Judaeos nonnulli dubitant. 5.) Sequuntur ceteri *supremi tribunalis assessores* & academiae profeſſlores (סנהדרין) (*b*). Horum latus claudat 6.) *Oppidi* vel *prouinciae* supremus *Judex* & *praesul* (רב) [*i*]. Quales hodienum in vrbibus, quas complures eorum incolunt, sunt inter Judaeos.

§. 29. Negotiosissimi erant eruditi. 1.) *Doctrinam* suam, dum viuerent, *ampliare* non desinebant. 2.) *Docebant* ceteros; in academiis literis operam dantes, in proseuchis totum coetum. Et sic docendo quoque discebant. 3.) *Jus dicebant:* Licet enim imperiti quoque litibus componendis interdum adhiberentur, eruditis tamen id negotii libentius dabatur. Poteratque eruditus vnus litem dirimere; ineruditi tribus non pauciores. 4.) Eorum erat, *responsa dare* in causis dubiis (להורות), quid *vetitum* (איסור) esset, quid *licitum* (היתר) (*k*). Id quod sibi sumere ineruditis prorsus non licebat; neque inter eruditos nisi promotis. *Responsum* (הוראה) autem, de quo nunc loquimur, est, non quod datur

Functiones eruditorum.

ad

(*b*) Hi in N.T. dicuntur: 1.) Ἄρχοντες, Joh. XII, 42. 2.) Ἄρχοντες τῶν Ἰουδαίων, Joh. III, 1. 3.) Ἄρχοντες τοῦ λαοῦ, Act. IV, 8. 4.) Ἄρχοντες τοῦ αἰῶνος τούτου, 1 Cor. II, 6. 8. Aliis tamen nomen ἀρχόντων quoque tribuitur.

(*i*) Hic in N. T. appellari videatur: 1.) Ἄρχων, Matth. IX, 18, 2.) Ἄρχων τῆς συναγωγῆς, Act. VIII. 41. 3.) Ἀρχισυνάγωγος, Marc. V, 22. 35. 36. 38. Et alibi.

(*k*) *Licitum* quid *pronunciare* (התיר) ih N. T. est λύειν; *Prohibere* vt *vetitum* (אסר) est δεῖν. Vid. Matth. XVI, 19.

ad quaestionem a discendi cupido propositam, cuiusnam doctoris sententiam in re aliqua, quae decisa iam sit, sequi oporteat (הלכה כדברי מי): sed quod datur ambigenti, quomodo in casu se offerente gerere se debeat (כשמורה על מעשה שבא לפניו), qui per doctores, propter circumstantias emergentes, decisus nondum sit, (ברבר שיש בו חידוש לשואל), vel cuius saltem decisio perpaucis sit cognita; vt adeo responsurus suo ipsius iudicio, collatis dubitandi & decidendi rationibus, primus eum decidere cogatur (יורה דבר מלבו ויסמוך על ראיותיו) vel proferre antiqui doctoris ceteris incognitam decisionem. 5.) Adhibebantur *contrahendis sponsaliis* (קידושין) & *matrimoniis* (חופה); in specie ii, qui vrbium vel prouinciarum praesules essent: quibus id negotii in hunc vsque diem est datum. 6.) Exercere se praeterea debent eruditi in *scriptione* (כתב), vt non magis legendo & meditando, quam cogitata erudite, conscribendi facultate polleant, literasque eleganter pingant. In *mactatione* (שחיטה), vt & ipsi rite mactare, aliosque leges ad mactationem pertinentes edocere valeant. In *circumcidendi arte* (מילה); & in *nectendis nodis phylacteriorum* (קשר של תפילין). Sunt haec praecipua: omnia enim & singula enarrare longum foret; (*l*).

Eruditorum diuersae aetates.

§. 30. Quo antiquiores gentis ipsorum eruditi fuerunt, eo maiorem fere sunt nacti auctoritatem. Ita vero sibi successerunt: 1.) *Patriarchae* (זקנים), 2.) *Prophetae* (נביאים), 3.) *Viri Synagogae magnae* (אנשי כנסת הגדולה), 4.) *Doctores Mischnici* (תנאים), 5.) *Gemarici* (אמוראים), 6.) *Opinatores* (סבוראים), 7.) *Excellentes* (גאונים), 8.) *Doctores* (רבנים); hi sunt hodierni. Omnium maximus fuit *Moses*; cui si vel propheta contradixisset, propheta non

(*l*) Chulin, fol. 9, 1.

non eſſet cenſendus (*m*). Prophetarum quoque, & eorum, qui ex viris Synagogae magnae θεόπνευστοι fuerunt, infallibilis auctoritas eſt: nec eorum alter alteri contradixit. Id quod de Miſchnicis & Gemaricis doctoribus dici nequit. Contradixerunt enim Miſchnici Miſchnicis, & Gemarici Gemaricis; non vero Gemarico Miſchnicis contradicere licuit, nec ex recentioribus cuiquam Gemaricis. De illis autem, qui diuinitus inſpirati fuerunt, nos hic loqui nolle, ſed de iis tantummodo, qui his ſucceſſerunt, iam ſupra monuimus.

Tituli eruditorum.

§. 31. Honorum *titulos* antiquior aetas, & ipſa quoque prima Miſchnicorum ignorauit. Magnus enim *Hillel* & *Schammai* non aliter atque prophetae *nudis* ſuis *nominibus* appellantur. Circa Chriſti autem aetatem iis ſuperbire inceperunt. Hi fuerunt: 1.) *Rabban* (רבן) i. e. *Doctor noſter*; cuius tanta fuit excellentia, vt non niſi ſeptem viris in vniuerſum, Hillelis poſteris, vnico Jochanane Zachaei filio excepto, fuerit tributus. 2.) *Rabbi*, (רבי) i. e. *Doctor meus* (*n*); quo omnes in Palaeſtina promoti inſigniebantur. 3.) *Rabb* (רב) i. e. *Doctor*; qui in Babylonia promotis dabatur. Titulus quoque *Domini* (מר) (*o*) & *Patris* (אב) (*p*) illis dabatur. Eruditis nondum promotis nomen *ſodalis* (חבר) (*q*) tribui ſolet.

CAP.

(*m*) Matth. V, 17. Μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας· οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι.

(*n*) Matth. XXIII, 8: Ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε Ῥαββί.

(*o*) Num eſt καθηγητὴς, Matth. XXIII, 10?

(*p*) Matth. XXIII, 9: Καὶ πατέρα μὴ καλέσητε ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς.

(*q*) Matth. XXVI, 50: ἑταῖρε, ἐφ' ᾧ πάρει.

CAPVT II.

DE OBLIGATIONE ERVDITIONI SACRAE OPERAM DANDI.

Mandatum diuinum studiis sacris incumbendi.

§. 32. Nullus salutarium legum est vsus, nisi probe cognitae sint, iisque obtemperetur. Vtrumque igitur per Mosen ceterosque diuinitus inspiratos viros sollicite fuit iniunctum. Primum audiamus Mosen:

1.) Deut. IV, 9. 10. 1.) *Monitus autem esto, ut sollicite caueas, obliuioni tradere res quas viderunt oculi tui, ne recedant a corde tuo, quamdiu vixeris, sed vt illa exponas filiis tuis & nepotibus tuis. Quo die stetisti coram domino Deo tuo in Choreb; cum Deus hoc mihi mandatum dedisset: In coetum coge populum, vt ipsis edicam verba mea, quae discere debent, vt me reuereantur, quamdiu vixerint in terra, & quae filios suos edocere debent.* Idem

2.) Deut. V, 1. 2.) *Audi, o Israël, statuta & jura, quae ego hodie vobis praesentibns edico, vt ea discatis, quo ea obseruetis & exsequamini.* Et iterum: 3.) *Ponatis haec mea verba in corde vestro & in anima vestra, & alligetis ea pro signo manui vestrae, & sint pro ornatu in vultu vestro. Et doceatis ea filios vestros, loquendo de iis, vbi domi commoremini, vbi iter faciatis, vbi cubitum eatis, & vbi surgatis. Inscribatisque ea postibus domus tuae & portis vestris. Vt tamdiu viuatis vos & filii vestri in terra, quam Deus iureiurando proauis vestris vobis dandam promisit, quamdiu coelum & terra durabunt.* Josuae Deus dixit: 4.) *Ne recedat hic liber legis ab ore tuo, vt cum attentione in illo legas interdiu & noctu, quo obserues & exsequaris omnia scripta in eo. Sic enim in omnibus rebus agendis psosperitate veteris & prudenter ages.* Addamus monitum, incertum cuius: 5.) *O! quanta felicitas est istius viri, qui consilia im-*

3.) Deut. XI, 18-21.

4.) Jos. I, 7. 8.

5.) Ps. I, 2. 3.

improborum non ſequitur, & peccatorum viam non inſiſtit & irriſorum conſeſſus non frequentat. Sed qui lege diuina delectatur, legemque illius interdiu & nocte meditatur. Eſt is profecto inſtar arboris ad aquarum riuos plantatae, quae ſuo tempore fructum fert, & folia dicidua non habet, inque omnibus rebus gerendis proſperitate vtitur. Silentio praeterimus effata quamplurima ſimilia. Obſerua in his *mandatum*, *finem* cur diſci debeat, & ſtudio propoſitum *praemium*.

Mares omnes legis ſtudio operam dare tenentur.

§. 33. Statuunt Judaei, *omnes* gentis ſuae *mares* de legis ſtudio teneri (כל איש מישראל חייב בתלמוד תורה); nullo facto aetatis, valetudinis vel fortunarum diſcrimine; ſiue ſit iuuenis, ſiue ſenex; ſiue bona vtatur valetudine, ſiue aduerſa; ſiue diues ſit, ſiue pauper, ſi vel tam pauper, vt ſtipem oſtiatim colligere cogatur: Quotidie tamen tempus aliquod legis ſtudio conſecret. Quam in lectione legis & meditatione induſtriam appellant *ſuſceptionem jugi legis* [קבלת עול תורה] [*r*]. Et qui in ea negligens eſt, *iugum legis excutere* [פורק עול תורה ושמירתם לאחוריו] dicitur.

Foeminae non tenentur

§. 34. De *foeminis* igitur quid fiet? Hae legis ſtudio operam dare non tenentur [*s*]: Quia *filios* quidem, *non* autem *filias* [*t*], erudire ſunt iuſſi [§. 32, 1.]. Illaene igitur vaccarum inſtar educentur, non niſi proli procreandae natae? Non ſane! ſtatuta [רינים], quae ab ipſis obſeruari debent, & credenda diſcere omnino tenen-

(*r*) Matth. XI, 29: "Αρατε τὸν ζυγόν μου ἐφ' ὑμᾶς, καὶ μάθετε ἀπ' ἐμοῦ.

(*s*) Gal. III, 28: Οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ.

(*t*) Kidduſchin, fol. 29, 2.

nentur. Cetera vt ignorent, propter ingenii muliebris vanitatem, praestare creditur.

Mancipia non tenentur.

§. 35. Par *Cananaeorum seruorum* vel *mancipiorum* [*u*] ratio est. Hi quoque non nisi ea praecepta, quae ad ipsos pertinent, edoceantur.

Mares ante nuptias discant.

§. 36. *Mares* vero *Israëlitae a puero* [*w*] literas discant, eruditionemque *ante initum matrimonium* sibi acquirere studeant [*x*]. Difficulter enim literis operam det, qui molarem a collo gestat [שריחיים בצואריו]. Quod si quis tamen se continere nequeat [*y*] prius vxorem ducere suadent, & dein incontaminatum legis studio operam dare.

Discantque dum viuunt.

§. 37. Cum vero, quae didicerit, ea obliuioni tradere soleat, qui quotidiana ruminatione non recoquat; cautum est apud illos, ne nostrorum hominum, qui ex eruditis, dummodo hoc nomen vnquam meruerunt, in agricolas degenerant, mores imitentur eruditi sui; sed vt *literis dent operam, dum spirent* [עד יום מותם] [*z*]. Secundum illud: *Ne recedant a corde tuo, quamdiu vixeris.* [§. 32, n. 1.]

Foeminae non tenentur

§. 38.

(*u*) Quia foeminae legem discere non tenentur. Seruos autem de praeceptis non teneri, de quibus feminae non tenentur, per *argumentum a vocabulorum conuenientia* (גז"ש) probant. Vid. Chagigah, fol. 4, 1. 1 Cor. XII, 13: Εἴτε δοῦλοι, εἴτε ἐλεύθεροι. Gal. III, 28: Οὐκ ἔνι δοῦλος, οὐδὲ ἐλεύθερος.

(*w*) Matth. XIX, 14: Ἄφετε τὰ παιδία, καὶ μὴ κωλύετε αὐτὰ ἐλθεῖν πρός με. τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

(*x*) Kidduschin, fol. 29, 2.

(*y*) 1 Cor. VII, 9: Εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται, γαμησάτωσαν· κρεῖσσον γάρ ἐστι γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι.

(*z*) Mischna Chagigah, fol. 9, 1. Schabbath, fol. 83, 2.

§. 38. At deplorandam rempublicam, cuius omnes ciues sint eruditi! Vt enim diuersis membris corpus humanum, ita illiteratis quoque societas indiget humana. At vero non illiteratis indiget; sed agricolis & opificibus. Si qua vero respublica non nisi eruditos habeat agricolas, sartores, sutores, fabros lignarios & ferrarios. & si qua sint praeterea opificiorum genera, hanccine longe praetuleris ei, cuius ciues partim sint opifices, a brutis, rationis expertibus, parum abhorrentes; partim eruditi, γαστέρες ἀργαὶ, desidiosam vitam agentes? Sapienter sane Judaeorum praeceperunt doctores, ne quis eruditus esset, quin aliquam *operariorum operam* (מלאכה) calleret, qua se & familiam aleret, reliquumque tempus legis studio impenderet. Eaque priscorum viuendi & literas tractandi ratio fuit [a]. Si quis *eruditus ex eleemosynis viuat*, de eo pronunciarunt, quod *nomen Dei profanet* (חילל את השם), *legem in contemptionem adducat* (בוזה את התורה), *malumque sibi ipse accersat* (b). *Quaestum* quoque *eruditione facere vetarunt*, dicendo (c): אל תעשם עטרה להתגדל בהם ואל תעשם קורדום להיות עודר בו *Ne quis abutatur literis ad coronam, qua superbiat, neque ad securim, ex qua victum quaerat.* Item: (d) (אהוב את המלאכה ושנא את הרבנות וכל תורה שאין עמה מלאכה סופה בטלה וגוררת עון וסוף אדם זה מלסטם את הבריות). *Praefer* [e] *operas ma-*

Eruditi opificia calleant

(a) Act. XVIII, 3. Ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην.
(b) Lebhusch, Hilchoth Talmud Torah, cap. 246. §. 21.
(c) Nedarim, fol. 62, 1. Conf. Pircke Abhoth, cap. 4, 5. fol. 4, 4.
(d) Pirke Abhoth, cap. 1, 10. fol. 1, 3. cap. 2, 2. fol. 2, 3.
(e) Eodem sensu in N. T. *amandum* dicitur, quod *praeferendum*: & *odio habendum*, quod *postponendum*. Luc. XIV, 26.

magiſtratibus. Si quis enim eruditus cum doctrina operam non conjunxerit; illam cum tempore [prae egeſtate] *deſerere cogetur, peccare diſcet, & poſtremo latronem agere non formidabit.* Mercenariorum operas [מלאכה] opificiis mechanicorum (אומנות) praeferunt. Attamen haec quoque, dummodo ſpurca non ſint, commendant. Latine loquatur bella quaedam Miſchna: [f] „Si cui inter foeminas operandum ſit, ne ſit ſolus cum ſolis. Neque inſtrui curet quisquam filium ad opificium, quod a foeminis adminiſtrari ſolet. Rabbi „Meir dixit: Quilibet doceat filium ſuum opificium „mundum & facile, vtque diuitiarum opumque omnium poſſeſſorem imploret. Nullum enim opificium „eſt, quocum modo paupertas modo diuitiae non ſint „coniunctae. Non enim paupertas ex opificio eſt; neque diuitiae ex opificio ſunt: ſed vtrumque pro cujusque merito. Rabbi Simeon filius Eleaſaris dixit: Vidiſtine vnquam feram aut auem opificium callentes? „Et tamen aluntur ſine ſollicitudine, [g] licet non, niſi „vt mihi inſeruiant, ſint creatae. Ego autem, vt „creatori meo ſeruirem, ſum creatus. Annon igitur „aequum erat, vt ego quoque ſine ſollicitudine alerer? „At vero male agendo victum meum praecidi. Aba „Gorion, Sa lianenſis, dixit, ſe ex Aba Goria audiuiſſe: „Ne quis inſtitui curet filium ſuum in agaſonem, camelorum cuſtodem, figulum, nautam, paſtorem vel inſtitorem, quia opificia eorum ſunt praedonum opificia. „Rabbi Juda ſuo nomine dixit: Plerique agaſones ſunt „improbi? plerique autem camelorum cuſtodes, probi; „nautae plerique boni ſunt; chirurgorum optimus ge-

„hen-

(f) Kidduſchin, cap. 4, 14. fol. 82. 1.
(g) Matth. VI, 26, 28.

„hennam promeruit; & lanionum praeſtantiſſimus eſt „Amalekitarum ſocius. Rabbi Nehorai dixit: Ego „omnia hujus mundi opificia miſſa feci, filiumque me„um non niſi ad legem inſtitui: Hujus enim vſuris ho„mo in hoc ſeculo fruitur, ipſumque caput in futurum „ſeculum ipſi aſſeruatur. Cum nullo autem ceterorum „opificiorum ita ſe res habet. Vbi enim homo in mor„bum inciderit, vel conſenuerit, vel in alias inciderit „calamitates, vt opificium ſuum tractare nequeat; fame „ipſi eſt pereundum. Ita ſe vero res cum lege non ha„bet. Haec enim immunem eum facit ab omni infor„tunio in iuuentute ſua, procuratque illi copiam & ſpem „in ſenectute. De juuentute quid [ſcriptura ſacra] dicit? „[Jeſ. 40,31:] Qui in deum fiduciam ſuam reponunt, re„cuperant vires. *De ſenectute autem quid dicit?* [Pſ. 92,15:] „In ſenectute laetos adhuc fructus ferent. *Atque ita dicit „de Abrahamo proauo noſtro* [Gen. XXIV. 1:] Abraham au„tem conſenuerat; Deusque eum omnis generis bonis „cumulauerat. *Legimus autem de Abrahamo, quod toti legi „obtemperarit, antequam lata eſſet. Quippe dicitur,* [Gen. 26, „5:] Quoniam obtemperauit Abraham voci meae, & ob„ſeruauit obſeruanda mea, & praecepta mea, & ſtatuta „mea, & leges meas.„

Eruditio diuitiis praeferenda ejusque neceſſitas & praemia.

§. 39. At ſic muſae frigebunt; cum homines, diuitiarum appetentiſſimi, illarum beneficio ſe ad incitas redigi non ſint paſſuri. Si nihil attuleris; ibis, Homere, foras! At vero inordinata hominum appetentia doctrinae praeſtantiae derogare nec poteſt nec debet. Quam ut oppugnent, inculcant Iudaei doctores, *eruditione ſacra* hominem *acquirere diuitias multo nobiliores*, nimirum *mundum hunc & futurum* (יקנה עולם הזה ועולם הבא). (*b*) Et has

(*b*) Kidduſchin, fol. 40, 1. Matth. VI, 19. 20.

has addunt minas: כל המבטל את התורה מעשר סופו לבטלה מעוני וכל המקיים את התורה מעוני סופו לקיים מעושר *Quicunque doctrinam negligit, diuitiarum cupiditate, illam prae paupertate aliquando negligere cogetur. Si quis vero in ſumma inopia doctrinae operam det; is divitias aliquando conſequetur, vt rectius eam excolere poſſit.* In iudicio denique extremo, propter eruditionis ſacrae neglectum primo omnium rationem reddendam eſſe contendunt: (*i*) תחלת דינו של אדם אינו נידון אלא על דברי תורה ואחר כן על כל שאר מעשיו *Primo loco homines propter doctrinae* (neglectum) *punientur, & deinceps demum propter res ceteras* (male) *geſtas.* Id quod illuſtrant iſto Salomoneo: כושר מים ראשית מדון *Si quis aquas* (i.e. ſacram doctrinam) *effluere ſinat; contentionis* (i. e. damnationis) *haec prima cauſa erit.* Similiter huic induſtriae praemium (שכר) omnium reliquorum bonorum operum remuneratione prius & potius decernunt. Quod niſi ſiniſtre interpreteris, tam abſurdum non eſt. Quippe dicunt: (*k*) שאין לך מצוה בכל המצות כולן שהיא שקולה כנגד תלמוד תורה ותלמוד תורה היא שקולה כנגד כל המצות כולן שהתלמוד מביא לידי מעשה *Nullum eſt in omnibus praeceptis, quod cum ſtudio legis aequari poſſit; ſtudium autem legis cum omnibus ceteris praeceptis aequari & conferri poteſt. Cognitio enim executionem* (*l*) *praecedat oportet.*

Quando legis ſtudium ceteris officiis ſit praeferendum.

§. 40. Ex quo efficiunt, ſi qua *ſtudii legis* & alicujus *ceterorum officiorum*, quod per alios exſequi poſſis, *colliſio* fiat, nullam ſtudii legis faciendam eſſe intermiſſionem, ſed alterius illius officii executionem alii eſſe committendam.

(*i*) Sanhedrin, fol. 7, 1. Conf. Matth. VII, 22. 23. XXV, 34-46.
(*k*) Peah, cap. 1, 1. fol. 1, 2.
(*l*) Rom. X, 14.

dam. (*n*) Hoc vero per alium fieri ſi nequeat; praeferendum vtique eſſe doctrinae, ad quam dein reditus detur. (*n*)

§. 41. Doctum non euadere monent, in quo *debita induſtria* deſideretur (שמתרפה עצמו), & qui voluptatibus (עידון) deditus commeſſationibus & compotationibus gaudeat. Sed eum, qui proficere velit, & accepta tenere, *ſe ipſum veluti enecare, corpus ſuum quotidie affligere & e ſomno ſubtrahere debere* (שממית עצמו עליה ומצער גופו תמיד ולא יתן שינה לעיניו ותנומה לעפעפיו) (*o*) *Nulla dies* praetereat *ſine linea.* Quia Eſaias dicit: (*p*) *Et verba mea, quae tibi in os tuum trado, ne recedant ab ore tuo, nec ab ore ſeminis tui, nec ab ore nepotum tuorum, dicit Deus, ab hoc tempore vsque in ſeculum.* Quin rem praecepti eſſe contendunt, vt non ſolum interdiu, verum etiam *noctu,* legis ſtudio opera detur. (§. 32, 4.) Noctemque praeferre ſuadent, (*q*) cuius ſilentium ſtrepitu vacuum minus cogitationes diſtrahat. Quare non per totam noctem dormire, multo minus compotationibus & confabulationibus eam tranſigere, ſed noctu ſurgere iubent; ſecundum illud: (*r*) *Surge & canta nocte, circa initium vigiliarum,* &c. Non deſunt minae: (*s*) כל בית שאין דברי תורה נשמעין בו בלילה אש אוכלתו *Domum, in qua verba legis noctu non audiuntur, ignis abſumit.* Id quod vero de igne infernali interpretantur. In Palaeſtina

Indefeſſa induſtria commendatur.

(*m*) Matth. VIII, 21. 22: Ἀκολούθει μοι, καὶ ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς. Conf. & Luc. X, 42.

(*n*) Megillah, fol. 83, 2.
(*o*) Schabbath, fol. 83, 2.
(*p*) Eſ. LIX, 21.
(*q*) Chagigah, fol. 12, 2. Erubhin, fol. 65, 1.
(*r*) Thren. II, 19.
(*s*) Sanhedrin, fol. 92, 1.

laeſtina, (t) vbi noctium aeſtiuarum breuitas, vt ſurgerent, non permittebat, a ſolſtitio aeſtiuo ſaltem vsque ad pentecoſtes feſtum id fecerunt. Religioſus vero hic labor licet continuus eſſe debeat; quodſi tamen *impedimentum vrgens* aliquando ſe offerat, [בשעת הדחק], qui קריאת שמע & preces matutinas veſpertinasque recitaverit, officio ſuo ſatisfecit. [u] Quem vero neceſſitas non cogat, is, ſi debitam diligentiam non adhibeat, graviſſime peccat. [w]

כל שאפשר לו לעסוק בתורה ואינו עוסק או שקרא ושנה ופירש להבלי עולם והניח תלמודו וזנחו הרי זה בכלל כי רבר ה' בזה *Si quis legi operam dare poſſit, & non det; vel ſi codicem ſacrum & Miſchnam legere inſtituerit, & reſiliat ad vanas huius ſeculi curas, deſeratque ſtudium ſuum & abjiciat: is in iis eſt*, (de quibus eſt ſcriptum Num. XV, 31:) *Verbum enim Dei contemſit.* Quo facilius lecta memoriae inhaereant, ea *clara voce* pronunciari iubent. (x) Omnino bene: Cum ſic viſui ſuppetias ferat auditus. Suam induſtriam & diſcendi ardorem teſtari denique ſolent inſtructo *conuiuio*, vbi aliquem Talmudis tractatum (מסכתא) ad finem perduxerunt, laetique deo gratias agunt. (y)

Reuerentia iniungitur.

§. 42. Sed & non niſi *cum debita reuerentia* res diuinae ſunt tractandae. Hinc *auditorium academicum* (בית המדרש), vel vbi id non ſit, *Synagogam* (בית הכנסת), ſi quis iis operam dare velit, ceteris locis praeferunt [z]: dicentes,

(t) De Dauide rege, quod media nocte ſurrexerit, vid. Brachoth, fol. 3, 2.
(u) Mnachoth, fol. 99, 2.
(w) Sanhedrin, fol. 99, 1. Luc. XIV, 16 24.
(x) Erubhin, fol. 54, 1.
(y) Schabbath, fol. 118, 2. 119, 1.
(z) Brachoth, fol. 8, 1. Megillah, fol. 29, 1.

tes, quae ibi discantur, facilius teneri. Suadent etiam, *in occulto* (בצנעה) legis studio incumbere [*a*], addito promisso, id facientem sapientem euasurum. In *locis spurcis* (במקומות המטונפים) res sacras tractare vetant [*b*]. Quin eruditum ejusmodi loca adire nolunt; cum fieri nequeat, quin ibi de doctrina cogitet. Excipiunt tamen balnea (מרחץ); quae frequentare licet. Denique inter discendum *de rebus eo non pertinentibus confabulari*, piaculum est. (אסור לדבר בשיחת חולין) [*c*]

§. 43. *Nomine suo* (לשמה) eruditioni operam dare dicitur, qui id eo consilio facit, vt doctior & melior euadat. Eo autem consilio qui id non faciat, is *nomine non suo* (שלא לשמה) literis operam dare dicitut. Iubent vero, ita legi operam dare, vt peccare odisse discamus, virtutis amore [*d*]. Quam minime *auarum* esse volunt eruditum; qui eruditionem & diuitias simul acquirere non cupiat, sed in discendo sit sedulus, si vel *pane cum sale vesci*, *in terra dormire*, *& durissimam vitam viuere* cogatur [*e*] Hinc vetant, ne quis primo loco diuitiis & dein demum legi operam dandi consilium capiat. Sed sine vlla mora ad literarum studium accedat; seque dein ab illis rerum terrenarum cura abstrahi ne patiatur. Dixerunt doctores [*f*]: לא כל המרבה בסחורה

Debitus eruditionis finis intendatur.

(*a*) Moed Katan, fol. 16, 1. 2. Succah, fol. 49, 2. Matth. VI, 5. 6.
(*b*) Megillah, fol. 28, 1. Succah, fol. 28, 1.
(*c*) Succah, fol. 28, 1.
(*d*) Nedarim, fol. 62, 1. Pirke Abhoth, cap. 6. fol. 7, 4.
(*e*) Pirke Abhoth, cap. 6. fol. 8, 1. Matth. VI, 24. 25.
(*f*) Pirke Abhoth, cap. 2. fol. 2, 4. Luc. IX, 61. 62: Οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπ' ἄροτρον, καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω, εὔθετός ἐστιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Conf. & Matth. XIII, 7. 22.

בסחורה מחכים, *Qui in mercatura multus sit, sapiens non euadit.* Item: [g] הוי ממעט בעסק ועסוק בתורה, *Esto parcior in ceteris laboribus; quo rectius legi vacare possis. Fastum* & arrogantiam eruditis dissuasuri dicunt, cum aqua comparari legem. Jam vero aquam ex locis elatioribus in depressiores defluere. Sic quoque hominem alta supercilia gerentem doctrinae capacem non esse; sed humiles (*h*). Eleganti quoque applicatione verba Mosis Deut. XXX, 12, 13. huc trahunt: *Non est in coelo;* id est, in superbis (גסי הרוח). *Neque est trans mare;* id est, in mercatoribus, qui diuitiarum causa maria tranant (*i*). Pertinet huc denique illud: [*k*] *Ita in Exoticis habetur.* (Dicitur Deut. XI, 22. Vt ames dominum deum tuum, vt in semitis illius incedas, & vt illi adhaereas. *Ne igitur dicat homo: studiis operam dabo, vt vir doctus audiam; sedulus in repetendo ero, vt Rabbi cognominer; iterum iterumque repetam, ut magistratus petere possim & sedere in concilio academico. Sed discito* (summi numinis) *amore. Honores enim sua sponte sequentur.* Par ceterarum virtutum vitiorumque ratio est. חח המזלזל במצות ואין בו יראת שמים אף על פי שהוא מתמיד בתורה ותורתו אומנתו הרי הוא כקלים שבעבור

Si quis eruditus praeceptorum exequendorum negligens sit & summi numinis reuerentia destitutus; is, si vel quotidie summa cum adsiduitate legis studio incumbat, & id pro opificio excolat, cum ima tamen plebe est comparandus [*l*]. Vt vero quis debitum finem legis studio proponere discat, ipsum legis studium commendant; [*m*] לעולם יעסוק אדם בתורה ובמצות

(*g*) Pirke Abhoth, cap. 4. fol. 5, 2.
(*h*) Taanith, fol. 7, 1. Matth. XX, 25. 26. 1. Cor. IV, 6: Ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε.
(*i*) Erubhin, fol. 55, 1.
(*k*) Nedarim, fol. 62, 1.
(*l*) Ioma, fol. 72, 2. Matth. VII, 22. 23.
(*m*) Sotah, fol. 22, 2. Pschachim, fol. 50, 2.

ובמצות אפילו שלא לשמה שמתוך שלא לשמה בא לשמה
Homo in legis ſtudio bonisque operibus ſemper eſto occupatus, licet eo conſilio, vt doctior meliorque euadat, id non fiat. Si enim in principio eo conſilio non fiat; tandem tamen fiet.

§. 44. Ab illo, qui eruditionem ſacram ſibi acquire- Methodus
re laboret, eam ſtudendi methodum obſeruari volunt eruditioni
Talmudici, vt quotidie unam temporis tertiam ſacri ſacrae ope-
codicis, alteram Miſchnae, tertiam Gemarae lectioni ram dandi.
impendat. Illos ipſos loquentes audiamus: (*n*) מאי רכתיב
ושננתם לבניכם אל תקרי ושננתם אלא ושלשתם לעולם ישלש אדם
שנותיו שליש במקרא שליש במשנה שליש בגמרא *Quid ſibi vult, quod ſcriptum eſt* (Deut. VI, 7.) Et inculcabis ea filiis tuis? *Noli legere*, VESCHINNANTAM (ושננתם) *i. e. inculcabis ea; ſed*, VESCHILLASCHTAM (ושלשתם), *i. e. iterum iterumque inculcabis ea. Quippe tenetur homo, dum vivit, ſtudium ſuum in tres diuidere partes. Tertiam* (temporis tribuat) *codici ſacro; tertiam Miſchnae; tertiam Gemarae.* Ad haec Talmudis verba ſequentem in modum *Raſchi* commentatur? אלא ושלשתם · מרלא כתיב ושניתם שישלישם Quia ſcriptum non eſt VESCHINNITAM (i. e. repetes ea, colligunt,) *quod iterum iterumque* [*inculcanda ſint.* Dices, benevole lector: O! miſeram probationem & commentatorem non feliciorem & obſcurum! Vitio id tibi dari non poteſt; cum in Iudaeis ipſis non pauci ſint, quos hoc effatum & Iſaacidae explicatio ita torſit, vt interpretationes tortuoſiſſimas (פירושים וגמגומין רחוקים) dederint verborum, quae interpretationem ſanam omnino patiuntur. Ne nos id agere velle ſuſpiceris, vt nugarum Judaicarum patrocinium ſuſcipiamus; en! tibi explicationem doctiſſimi Iudaei, (*o*) quem quidem Talmudicorum & Iſaacidae mentem recte aſſequutum eſſe nulli dubitamus. Dicit Moſes:

Et

(*n*) Kidduſchin, fol. 30, 1.
(*o*) *R. Mardochaei Japhae* in *Lebhuſch*, Part. *Atereth Sahabh*, in *Hilchoth Talmud Torah*, Cap. 146. §. 4.

(p) *Et ſunto verba haec, quae ego tibi hodie iniungo, in corde tuo.* Subiungit ſtatim: [q] VESCHINNANTAM (ושננתם) i. e. *Et inculcabis illa liberis tuis.* Monet Raſchi, ſcribendum Moſi fuiſſe: VESCHINNITAM [ושניתם] *& repetes ea cum liberis tuis.* Quid vero Talmudici? Legendum non eſſe, VESCHINNANTAM [ושננתם], *& inculcabis;* ſed, VESCHILLASCHTAM (ושלשתם), *iterum iterumque repetes.* O! artis criticae abuſum! Itane vero vocabulo, quod commodum ſenſum ſpirat, aliud ſine ulla neceſſitate ſubſtituete fas eſt! At vero paululum animo temperes velim; mox, mox Iudaei ſe extricabunt. Quomodo vero Raſchi & Talmudici conſpirant? Dicit Raſchi: Quoniam Moſes non ſcripſit, VESCHINNITAM [ושניתם], quod ſcribere debebat; ſed, VESCHINNANTAM [ושננתם]: Talmudici collegerunt, quae quis dicerit, ea non ſemel, ſed iterum iterumque eſſe repetenda. Id'eſt, verba eorum: *Noli autem legere cet.* non ita ſunt accipienda, quod voeabulo VESCHINNANTAM [ושננתם] vocabulum VESCHILLASCHTAM [ושלשתם] ſubſtitui debeat; ſed eundem illius, quem huius hoc loco ſignificatum eſſe, vt repetitam repetitionem ſignificet, ſignificare voluerunt. Quid vero viderunt, quod eos ita ſtatuere moueret? Duplex Nun (נ) vocis, VESCHINNANTAM [ושננתם] id indicare creditur. Si enim ſcripſiſſet Moſes VESCHINNITAM (ושניתם) cum נ vno, non niſi vnicam iniunxiſſet repetitionem. Jam vero VESCHINNANTAM (ושנתם) cum gemino נ ſcripſit; vt repetitionem iniungeret geminam. Prodit igitur tergemina opera a Moſe iniuncta. Prima, ut lex divina diſcatur, iniuncta verbis: *Et ſunto verba haec, quae ego tibi hodie iniungo, in corde tuo.* Altera, ut repetatur, verbis: *Et inculcabis ea.* Tertia, vt iterum repetatur; geminatione literae נ. *Diſcatur*, lectione *codicis ſacri. Re-*

(p) Deut. VI, 6. (q) v. 7.

petatur,

petatur, in Miſchna. Denuo repetatur, in Gemara. Q. E. D. At vbi Moſis tempore Miſchna & Gemara fuit, ut earum lectionem iniungere poſſet Moſes? Sic recte quidem excipiatur. Reſpondebunt autem Iudaei, non libros intelligi, ſed eorum contenta; quae non minus, quantum quidem ad leges, quam ipſa lex ſcripta a Moſe ſint profecta. Et hic ille nodus Gordius eſt, quem non diſſecare cum Alexandro, ſed artificioſiſſime ſoluere poſſe debet, qui contra Iudaeos vult diſputare. Hoc autem negotium eſt multae artis magnique laboris. Caue, fabulas illis objicias Talmudicas & parabolas; quod vulgo fit. Rident Iudaei, nec immerito, & retorquent. Solutus erit, ubi demonſtraveris, explicationem Moſaicarum legum Miſchnicam & Gemaricam falſam eſſe, & cum Moſe & viris θεοπνεύστοις pugnare. Hoc vbi demonſtratum dederis, victas manus dabit Iudaeus doctus & cordatus, inque tua caſtra transibit; non ante. Neque, ut ante id faciat, poſtulare poteſt vir probus & veri amans. Hoc vero qui praeſtare velit, explicationem legum Miſchnicam & Gemaricam rectius, quam adhuc habemus, cognitam habere debet, & eorum diſputandi rationem non ignorare. Sed extra oleas vagamur. Excipi poſtremo poſſit, vocabulum, VESCHINNANTAM [ושננתם] male a redice SCHANAH (שנה) deriuari, quod a themate SCHANAN [שנן] deſcendat. Largietur hoc Iudaeus. Neque tamen, ſi ſubſumas, vim pentateuchi verbis facere Talmudicos, id effici concedet. Quas vero latebras quaeret? Nullas. Dicet: ASMACHTA [אסמכתא] eſt! Quales ſunt multae. Hoc vero quid monſtri eſt? Eſt argumentum, quod non ſit argumentum. Eſt *prouocatio ad codicis ſacri effatum; non, vt id, quod probari debebat, probet; ſed vt rem, aliunde probandam*

bandam, memoriae tantummodo infigat. Et in argumentis huius naturae verbis ita non raro luditur. At nugas! Quae vero maiorem afferant utilitatem, quam vulgo concipitur. Vidimus, praecipere Iudaeos, vt tironis quotidiani labores ſint tripartiti. Ab exercitatiore autem id non deſideratur. Cum enim Gemara codicis ſacri effata & Miſchnas in ſingulis paginis contineat; is, Gemaram legendo, vna fidelia non duos, ſed tres, dealbat parietes: Modo nonnunquam certum aliquod tempus [עתים מזומנים] ſacri codicis & Miſchnae lectioni deſtinet.

Iudaei Talmud ſacro codici non praeferunt.

§. 45. Quis, quaeſo, inter Chriſtianos effato illo Talmudico non offenditur, & a blaſphemia id parum abeſſe clamat? (r) תנ"ה העוסקין במקרא מידה ואינה מידה במשנה מידה ונושלין עליה שכר גמרא אין לך מידה גדולה מזו. „ Ita docuerunt doctores noſtri: Qui ſacri codicis lectioni operam dederit, is aliquid quidem fecit, non tamen multum fecit. Qui Miſchnae; is plus fecit, & mercede non excidet. Qui vero Gemarae; is fecit, quo quid maius fieri nequeat.“ Sit ſane in eo, quod iure reprehendat Chriſtianus; Chriſtus enim & noui foederis θεόπνευστοι viri id in ſingulis fere noui foederis paginis oppugnant. Latebras autem non quaerit Iudaeus, qui dicit, iniuriam ſibi facere, qui *codici ſacro Talmudicum corpus* hoc effato *praeferri* nugentur. Demonſtratu facillimum eſt, illius multo maiorem apud eos, quam huius eſſe ſanctitatem. Abjecturos ſe *Talmud* ſerio dicent, quod pentateucho & codici ſacro aduerſetur. Se id *fidei ſuae normam habere, quia cum ſacro codice amiciſſime conſpiret.* At aduerſatur tamen. At vero ex eo non efficitur, quod ſacrae ſcripturae Talmud praeferant. An-

(r) Baua mezia, fol. 33. 1.

Annon nos quoque parum egisse dicemus theologum, qui sacrum codicem legerit & non intelligat; plus, qui ex symbolicis nostris libris, quorum vices apud Iudaeos Talmud sustinet, pleniorem habeat credendorum & agendorum cognitionem; plurimum vero illum, qui theologicas veritates demonstrare quoque didicerit? Si ita recte iudicetur; effatum illud Talmudicum in Iudaeis damnare non possumus, quamdiu illis, quod Talmud cum scriptura sacra non corcordet, non est demonstratum. At dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae. Dulcius sane bibuntur: dommodo a nobis auidius biberentur. Quid vero sacri codicis studio magis apud nos friget, obtorpuit, animam efflauit? Vbi sunt rerum sacrarum studiosi, quibus hic labor non sordeat? Industria vel decem sanctioris doctrinae cultorum Christianorum in sacro codice legendo profecto vnius docti Iudaei diligentiam non aequat.

§. 46. *Eruditionis profanae non eadem semper* apud Iudaeos fuerunt *futa*. Sub Persis & Graecis eam Indaeis adeo in deliciis fuisse, vt philosophiam Chaldaeam & Pythagoream Mosaicae subornarent, eique pallium ex Pentateucho artificiose quaererent, ex Christianis nonnulli existimant. Ipsi contendunt, Aristotelem, Pythagoram, aliosque gentiles philosophos ex Salomonis, suaeque gentis sapientia sua hausisse. Sequioribus temporibus, literis & philosophia graeca bis, semel in Aristobuli & Hyrcani fratrum (*s*), & iterum in Titi Vespasiani bello, interdicti dicuntur Judaei. Talmudici scientiarum exterarum culturam licitam pronunciarunt;

Eruditioni profanae opera quomodo detur.

(*s*) Baua kama, fol. 82, 2.

runt; ita tamen, vt libros haereticos (ספרי מינין) prohiberent (*t*). Ne tamen minus neceſſaria neceſſariis & iucunda vtilibus praeferrentur; decreuerunt, deambulatione hac (§. 18.) ante recreari neminem debere, quam ſacra ſua doctrina bene ſit paſtus. Ad eruditionem extraneam, in ſpecie autem metaphyſicam & pneumatologiam, ſpectant fabulae de illis doctoribus Talmudicis, qui paradiſum, & nonnulli quidem eorum infeliciter, ſint ingreſſi (*u*).

CAPVT III.

DE

OBLIGATIONE CETEROS ERVDIENDI.

Pater & auus erudiat filium & nepotem.

§. 47. *Patris* (*w*) eſt, erudire *filium*, & *aui*, (*x*) *nepotem.* (מצות עשה על כל אחד מישראל שילמד לבנו תורה) Cui officio ſi ſatisfaciat, tantum ipſius meritum eſt, quantum futurum fuiſſet, ſi legi in monte Sinai latae ceruicem praeſens ſubmiſſiſſet (כאילו קבלה מהר סיני). Id quod per argumentum a connexione petitum (סמוכים) probant. Quoniam verbis, *vt illa exponas filiis tuis & nepotibus tuis*, ſtatim ſubiungitur: *Quo die ſtetiſti coram domino Deo tuo in Choreb.* Si ipſi ignari praeſtare id nequeant, aptum conducant praeceptorem (ישכירו מלמד), qui filium vel nepotem inſtruat.

(*t*) Mnachoth, fol. 99, 2.
(*u*) Chagigah, fol. 14, 2. Cabbaliſtici quoque libri fuiſſe videantur, qui a Chriſtianis ſunt combuſti, Act. XIX, 19.
(*w*) Kidduſchin, fol. 29, 1. 2.
[*x*] Kidduſchin, fol. 30, 1.

§. 48. *Si pater* uel *auus* huius ſui officii ſint negligentes; per magiſtratum *cogantur* [*y*], vt ſumtus huic rei neceſſarios impendant. Quin, illis abſentibus, ex eorum bonis publica autoritate faciant ſumtus. Quod tamen illis inſciis, niſi in regiones nimis diſſitas abierint, fieri non debet. Cogitur pater, ut id faciat.

§. 49. Quid vero, ſi nimis mature pater rebus humanis ſit ereptus? Quis filium erudiri curabit? *Mater* id facito. Ita quidem videri poterat. At vero faciat quidem, ſi velit. Quia autem hoc res praecepti non eſt; ſi nolit, *cogi non poteſt* [*z*]. Res praecepti non eſt. Foeminae enim legi operam dare non tenentur (§. 34.). Qui vero vt id faciat non tenetur ipſe, vt alium inſtrui curet non quoque tenetur. Id quod ſequentem in modum demonſtratur. Dicitur: ולמדתם אותם ושמרתם לעשותם. Si vocabulum (למדתם) legas, vt puncta volunt, LEMADTEM, *diſcatis*; ſenſus quidem verborum eſt: *Vt ea diſcatis, quo ea obſeruetis & exſequamini.* Sed vocabulum למדתם per diuerſa puncta legi quoque poteſt LIMMADTEM, *doceatis.* Et tum ſenſus erit: *Vt ea doceatis, quo ea obſeruetis & exſequamini.* Ita vero cum legi quoque poſſit, legendum quoque eſt; quia *ſcripturae ſacrae ſenſus eſt foecundus*; ſecundum illud: יש אם למקרא ויש אם למסרת *Et ſine punctis vocalibus, & cum iis verba ſunt legenda.* Jam cum eodem vocabulo iniungatur, vt lex diſcatur & doceatur; idem docere eam alios tenetur, qui diſcere. Foeminae autem eam diſcere non ſunt iuſſae (§. 34.); Ergo nec, vt alios doceant, vel erudiri curent. Mater cogi nequit.

§. 50.

[*y*] Quia quilibet ad exequenda praecepta iniunctiua cogitur. Ktubhoth, fol. 96, 1. 2.

[*z*] Kidduſchin, fol. 29, 2.

Parentibus deſtitutus praeceptorem ſibi quaerat.

§. 50. Is igitur quid faciat, qui neque parentum neque aui opera legem ſit edoctus? *Ipſe praeceptorem quaerat* neceſſe eſt, qui ſe inſtruat [*a*]. *Omnes* enim *Iſraelitae legem diſcere ſunt iuſſi* (§. 32, 2.).

Quilibet eruditus diſcipulos habeat.

§. 51. Cum patribus iniunctum ſit, vt filios ſuos legem diuinam doceant (§. 47.); & doctoribus patrum (אבות) [§. 31.] diſcipulisque filiorum [בנים] nomen competat (§. 23.): Cuiuslibet *eruditi officium* eſt, vt *diſcipulos ſibi eligat & admittat*, quos ad eruditionem ſacram inſtruat (מצוה על כל חכם מישראל ללמד לתלמידים) [*b*].

Filii & nepotes praeceteris erudiendi.

§. 52. Erudiendi ſunt mares ſinguli, nullo excepto; cum omnes diſcere teneantur (§. 50.) Cur vero pentateuchus non dixit: *Vt illa exponatis ſinguli ſingulis*; ſed, *vt illa exponas filiis tuis & nepotibus tuis?* (§ 32, 1.) *Quia filius nepoti, & hic ceteris, eſt praeferendus.* (שמצוה להקריס כנו לבן בנו ובן בנו לבן חבירו) Hinc quoque pro erudiendo eo, qui filius aut nepos non ſit, nemo impenſas facere cogitur. Attamen *praeceptor*, qui patris ſimul perſonam ſuſtinet [§. 31.] *gratis* eum informare tenetur. [§. 47.]

Pater praecedit filium, ſi ambo eruditi debeant.

§. 53. Quod ſi vero *pater imperitus filium* habeat *erudiendum*, nec res familiaris patiatur, vt ambo ſimul legis ſtudio incumbant; vter praeeat? Si ingenio aeque polleant ambo, *proximus ſibi ipſi pater eſt. Officium* enim *in ſe ipſum officia in ceteros vincit.* (דמצוה הגופיה עדיף) Sin *docilior filius* ſit; pater rem familiarem curet, & filius literis operam det. Ipſa Talmudis verba audiamus (*c*):

ת"ר הוא ללמוד ובנו ללמד הוא קודם לבנו רבי יהודה אומר אם בנו זריז וממולח ותלמודו מתקיים בידו בנו קודמו ובו' *Ita ſtatuunt doEle-*

[*a*] Ibid.
[*b*] Ktubhoth, fol. 50, 1. 1 Cor. IX, 16. 17. 18.
[*c*] Kidduſchin, fol. 29, 2.

flores noſtri: Si ipſe (pater) *inſtitutione indigeat, & eruditendus quoque ſit filius; pater praecedat filium. Sin docilior ſit filius, & magis ſalitus* [*d*] (i. e. iudicii praeſtantioris,) *& facilius accepta teneat, filius praecedat.* Ea tamen lege, ne pater, quae poſſit, ipſe diſcere negligat. (§. 50.) Similiter, ex ratione ſimili, *nepoti* in doctrina, ceteris paribus, *praeferendus filius* eſt.

§. 54. At ſi ita ſe res habeat, imperita plebs (עם הארץ) inter Judaeos prorſus eſſe non debebat: Quae tamen eſt. Pater enim, qui filium erudiri non curet, officio ſuo non ſatisfacit (§. 47.); & cur eorum magiſtratus non cogunt patres? (§. 48.) Eſſe non debebat. Sunt autem multa, quae eſſe non debebant; & multa non ſunt, quae eſſe debebant. Verum etiam per circumſtantias multa eſſe ſaepe nequeunt, quae eſſe debebant. Diſcendi ſane cupidiores plerique Judaei ſunt Chriſtianis: Qui neſcire & nihil didiciſſe laudi ſibi ducere ſolent, non niſi vulpecularum ſcholaſtico ſub puluere latentium nomine, & ſi qua praeterea dicteria ſint, eruditos inſignientes. Ita ſua ſibi ignorantia placent. Non ſäne id faciet vel imperitiſſimus Judaeus. Suſpicit tamen, qua non eſt imbutus, doctrinam. At vero vt *Miſchnam* quis ſuos edoceat quoque *& Gemarum*, verbis, *& doceatis ea filios veſtros*, [§. 32, 3.] *iniungi negant* [*e*] ſed tantummodo, vt codicem ſacrum. (תורה שבכתב) Hunc igitur qui legere nequeat, ſi diſcere potuerit, Ju-

Ad quem eruditionis gradum filium perducere teneatur.

[*d*] Vel ipſa *doctrina*, vel *iudicii acumen* & ſalutaria diſcendi diſcernendique ab inutilibus capacitas in Talmucico hocce effato cum *ſale* comparatur. Ex quo lucem habet Chriſti effatum, Matth. V, 13.

[*e*] Kidduſchin, fol. 30, 1.

Judaeus religioſus non eſt. Vt ad altiorem hanc doctrinam filium eruditi curet, patri ex officio non incumbit. Faciat tamen, ſi poſſit; efficiatque, vt filius Miſchnae (משנה) quoque, Gemarae (גמרא), vniuerſae theologiae caſuiſticae [הלכות] & moralis [אגדות] ſcientiam acquirat.

Imperitus alium legis ſtudio incumbentem ſibi ſubſtituat.

§. 55. Illine vero, qui *rudis* eſt, & fortaſſe non ſua culpa, reſtitutio in integrum non datur? Datur omnino. *Non maius officium eſt, legis ſtudio operam dare, quam id apud alios promouere* (מצוה להחזיק לומרי תורה) (*f*). Id quod multis fieri poteſt modis. Si litteris operam daturorum ſubleuetur inopia. Si praeceptores alantur. Si opera publica his remittantur. Si quis eruditi pauperis filiam ducat (*g*). Plures inueniet modos, qui de illis cogitauerit. Pauperibus erudiendis non minus eruditus opibus pollens ſuccurrat, quam imperitus. Quam maxime tamen id facito rudis, vel negotiis aliis impeditus, vt in legis ſtudio multus eſſe queat. *Hi literis operam dantibus ſi ſumtus ſuppeditauerint, imputabitur ipſis, ac ſi legi operam dederint ipſi.* (יספיקו לאחרים הלומרים ותחשב להם כאילו למדו בעצמם) (*h*) De eo enim, qui ipſe legis ſtudio incumbit, valet illud (*i*): *Haec enim erit vita tua & dierum tuorum prolongatio &c.* De eo autem, qui aliorum ſtudia ſubleuat (מספיק לאחרים), illud [*k*] *Arbor vitae eſt promouentibus eam &c.* Quin paciſci alter cum altero poteſt, vt hic legis ſtudio incumbat (יעסוק בתורה), ille autem huic neceſſarium victum & amictum conquirat (ימציא לו פרנסה), ea lege, vt ille *dimidii praemii*, a Deo induſtriae huius tribuendi, (§. 39.) par-

[*f*] Vaijikra rabbah, ſect. 25. Brachoth, fol. 34, 2.
[*g*] Joma, fol. 71, 1.
[*h*] Vaijikra rabbah, ſect. 25.
[*i*] Deut. xxx, 20.
[*k*] Prou. III, 18.

particeps fiat (יחלוק עמו בשכר). Tale inter *Sebulonitas* & *Iſascharitas* pactum fuiſſe, concludunt ex Moſis verbis (*l*): *Laetus ſis, o Sebulon, in peregrinationibus tuis* (mercaturae cauſa ſuſcipiendis); *Tu autem, o Iſaſchar, domi.* Erudiendus autem ſit, quocum eiusmodi ineatur pactum; non vir doctus, eruditione iam pollens. Ab hoc enim ſi quis praemii partem pecunia emere velit, (למכור לו חלק בשביל ממון), vſu illi venturum pronunciant, quod eſt ſcriptum: (*m*) *Si quis vel omnes ſuas diuitias obtulerit; contemtim tamen eum repudiabit* [*n*].

§. 56. Supra (§. 34.) iam didicimus, praeceptum de legis ſtudio *non* pertinere *ad feminas.* Jam vero, ſi quis, hoc non obſtante, *filiam* ſuam *erudire* velit; hoccine recte facit? *Interdixerunt* ſane doctores Talmudici, שלא ילמוד אדם את בתו תורה *ne quis filiam ſuam legem edoceat.* Immo grauius quid dixerunt (*o*): כל המלמד את בתו תורה כאילו מלמדה תפלות *Qui filiam ſuam legem docet, idem agit, ac ſi nugas eam doceret.* Blasphemum hoc eſſe dixeris. Audiamus igitur, quomodo ſe liberent. Quod nobis concedi poſtulamus, hoc ipſis negare non poſſumus beneficium, vt verborum ſuorum ſint interpretes. Dicunt nimirum, eam eſſe *ingenii & iudicii* muliebris *inopiam* (עניות רעתן) (*p*), vt inter nugas ſuas & res ſerias diſtinguere Filiae legem ne doceantur.

[*l*] Deut. XXXIII, 18.
[*m*] Cantic. VIII, 7.
[*n*] Sotah, fol. 21, 1.
[*o*] Sotah, fol. 20, 1. In coetu publico feminas ſilere, ita vt ne dubia quidem ſua exponere illis liceat, iubet Paulus, 1 Cor. XIV, 34. 35.
[*p*] De verbo ad verbum עניות רעת ſignificat *intellectus pauperta-tem.* Ex quo intelligitur, quinam Matth. V, 3. ſint οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι. Nimirum Chriſti aſſeclae; quos Judaei vt homines ſublimiori ſua doctrina non imbutos, tanquam ſtupidos & imperitos ſint contempturi.

guere nesciant; quare doctrina non minus quam reculis suis ad fastum ceteraque vitia sint abusurae. Melius igitur cum illis agi, si legem ignorent, quam si cognitam debita cum reuerentia non tractent. *Negant* praeterea *de sacro codice* (תורה שבכתב) *id intellexisse doctores Talmudicos.* Non nisi de lege ore propagata [תורה שבעל פה] accipiendum id esse: Cuius profunditas speculationem requirat, cuius muliebre ingenium patiens non sit. (שהיא רבר עמוק וצריך עיון רב ואין רעתן סובלתו) Non quidem auctores se cui futuros, vt consilium ineat [לכתחלה], vel ad codicis sacri lectionem assuefaciendi feminam. Quod si factum tamen sit [בדיעבד], non valere de eo, quod idem egerit, ac si nugas illam docuerit.

Merces feminarum, legi operam dantium.

§. 57. Immo *ne mercede quidem feminas frustrantur legis studio operam dantes.* Tantam tamen eam, quantam virorum, futuram negant. Mercedem enim eius, cui res aliqua sit iiuncta, si eam exsequatur, maiorem semper esse contendunt, quam illius, qui iiussus eam exsequatur: Quia is maiori, quam hic, circumspectione, ne qua in re peccet, circa illam versetur. Verum enim vero, *si legis studium promoueat femina*, marito aut filio opem ferens, vt maiori cum assiduitate ei vacare possit; *non minorem ei, quam viris* studium aliorum subleuantibus (§. 55.) sperandam esse *mercedem* pronunciant (*q*).

Eruditae inter Judaeos foeminae.

§. 58. Nonnullae tamen *eruditae inter Judaeos foeminae* fuerunt (*r*). In quibus prae ceteris *Beruria*, R. Meiris vxor, laudatur (*s*).

CAP.

[*q*] Sotah, fol. 21, 1. Maim. Hilch. Talmud Torah, cap. I. §. 13.
[*r*] Vid. Gust. Georg. Zeltneri Disp. de Foeminis ex Hebraea gente eruditis.
[*s*] Brachoth, fol. 10, 1. Pschachim, fol. 62, 2. Conf. Gust. Georg. Zeltner. Disp. de Beruria. Alt. 1714.

CAPVT IV.
DE DIDACTRO.

§. 59. Legis est, (*t*) *vt vir doctus* (חכם) vel eruditus *gratis doceat*, uullo exigendo didactro. כל מי שיודע ללמד תורה חייב ללמד עם אחרים בחנם בין תורה שבכתב בין תורה שבעל פה „Quicunque facultate legem docendi pollet, is cete„ros eam gratis docere tenetur, & legem scriptam & „ore acceptam.„ Id quod effici dicunt ex verbis Mosis: „(*u*) Ecce! docui vos statuta & iura, quemadmodum „praecepit mihi dominus, deus meus, vt faciatis ita in „terra, quam ingressuri estis ad possidendam eam.„ Demonstratio haec est. Docuit Moses legem, quemadmodum deus ipsi praeceperat. Deus autem Mosi gratis praecepta dedit. Moses igitur gratis quoque legem docuit. Pergit Moses: *Vt faciatis ita cet.* Id est, quod ego feci, id vobis quoque est faciendum. „Atqui eo legem „gratis docui. Ergo vos eam gratis quoque docere de„betis„ (מה אני בחנם אף אתם בחנם). (*w*) Quin praecipiunt, si quis vel didactrum soluerit ipse, non tamen dicere illum dein debere: *Gratis non accepi, gratis non dabo!* dummodo sine rei familiaris suae dispendio (בלא שום בישול) doctorem agere possit. Gratis doceatur.

§. 60.

(*t*) Nedarinn, fol. 36, 2. 37, 1.
(*u*) Deut. IV, 5.
(*w*) Matth. X, 8: Δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε. Victum tamen & amictum necessarium apostolis adiudicat Christus, Matth. X, 9. 10: Ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτῦ ἐστιν. Vnde Paulus 1. Cor. IX, 11-18. & 2. Cor. XI, 7.12. disputat de potestate per Christum apostolis data, vt alimenta ab auditoribus, quibus euangelium annunciarent, sumerent: Qua vero ipse apud illos vti noluerit.

Quale didactrum exigere liceat.

§. 60. *Patitur* enim *regula* haec aliquas *exceptiones* (היתר) (*x*) Quippe didactrum (שכר) sumere licet pro rebus, quae ad legis studium proprie non pertinent; & vbi sibi ipsi defuturus esset doctor, nisi id exigeret. Hinc (1) si quis pueros (נערים קטנים), qui inspectione indigent, instruat; exigere licet *inspectionis praemium* (שכר שימור). (2) Quia accentus recentius inuentum sunt, (שזה אינו ראורייתא), qui ad eorum tenorem legere docet, sumat *accentuationis praemium* (שכר פיסוק הטעמים). (3) Qui, dum docet, rem familiarem negligere cogitur, exigat *rei familiaris dispendii compensationem* (שכר בטלה); quae lucrum, quod illo temporis spatio facere potuisset, superare non debet. (4) Quod si quis vero recentiora doctorum placita & statuta (חידושי סופרים ותקנות מרבנן) exponat; veri nominis *didactrum* exigere licet. Primam horum praemiorum speciem a solis tenellis pueris (נערים קטנים) sumere fas est, non a profectioribus aetate (גדולים): Ab vtrisque ceteras. Secunda in sola lege scripta locum habet; non, si lex ore accepta doceatur.

Quis didactrum soluat.

§. 61. Vbi moris est, vt *didactrum* detur, illi id *soluant*, quorum est, curam agere, vt homines erudiantur. Soluant igitur *pater* & *auus* pro filio & nepote; (§. 47.) Quilibet *pro se ipso*; (§. 50.) pro pueris etiam *magistratus*. (§. 48.)

CAP. V.

DE LVDIS PVERORVM.

Scholarum necesitas.

§. 62. Bene instituta respublica nulla re minus carere potest, quam doctrinae Gymnasiis, in quibus & pu-

(*x*) Nedarim, fol. 36, 2. 37, 1.

& pueri & prouectiores erudiantur, ne bruta ex se nata relinquant ciues. Id quod probe intelligentes Judaei necessitate huic sedulo prospexerunt. Quippe dicunt (y) שאין העולם מתקיים אלא בשביל הבל תינוקות של בית רבן *Non conseruari mundum nisi per halitum puerorum* inter discendum, *in ludo emissum.* *Ludus puerorum* ab illis *beth hasscpher* (בית הספר) vel *beth Rabban* (בית רבן), *Academia* prouectiorum autem *beth hammedrasch* (בית המדרש) appellatur. De illis primo loco, de his capite sequenti dicemus.

§. 63. Statuerunt prisci (תקנו חכמינו הקדמונים)(z) vt *in quolibet oppido ludi magister* (מלמד הלומד עם הנערים, מלמד תינוקות, מקרי ורדקי) constituatur. (*a*) Ciuitati, quae id non faciat, sub excidii comminatione id iniungendum esse (מחרימין) statuerunt: Et si tum non pareat, eliminandam esse. (מחריבין) (*b*) Sunt, qui id interpretentur de loco, in quo non pauciores 25 pueris erudiendis inueniantur: Si enim pauciores adsint, non teneri ciues, vt ludi magistrum alant. Haec autem exceptio vsu non comprobatur. Ludi magister constituatur.

§. 64. Sit *ludi magister* vir *pius* (*c*) *& probus* (בעל יראה) & *legendi methodiceque docendi peritus* (מהיר לקרא ולדקדק). Verum etiam *improbitatis suspicionem euitet.* Eaque de causa sit *vxoratus*, (*d*) quia matres nonnunquam filios ad ludum comitantur. Vxor tamen eius tam suspicax ne Qui fit pius & peritus.

(y) Schabbath, fol. 119, 2.
(z) Eadem phrasis in N. T. occurrit. E. g. Matth. V, 21: ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις. *dictum est a priscis doctoribus.*
(a) Baua bathra, fol. 21, 1.
(b) Schabbath, fol. 119, 2.
(c) Chagigah, fol. 15, 2.
(d) Kidduschin, fol. 82, 1.

ne ſit, vt in ipſo ludo Argum agere velit; ſed domi ſuae maneat. Similique de cauſa *foemina ne eſto ludi magiſtra*;(e) quia & patres filios ad ſcholam perferre conſueuerunt. Doctrinam ſi ſpectes; *bonae methodi acuendique iudicii, quam multae lectionis* ſit *ſtudioſior*. Num diligens, qui imperitior ſit, indiligenti peritiori, an hic illi, ſit praeferendus; de eo Talmudicos diſputantes audiamus: (*f*) „Dixit Raba: ſi duo ſint ludi magiſtri, quo„rum alter ſedulus ſit in legendo, non vero accurate res „explicet; alter accurate res explicet, non vero ſedulus „ſit in legendo: Conſtituatur ille, qui ſedulus in legen„do ſit, licet res accurrate non explicet; quoniam er„rores ſua ſponte dediſcuntur. Rav Dime ex Nahardea „autem dixit: Conſtituatur ille, qui res accurate expli„cat, licet minus ſedulus ſit in legendo; error enim, „quem ſemel imbibimus, haeret. *Scriptum enim eſt*, „(1. Reg. XI, 15. 16,) Sex menſes commoratus ibi eſt Joab „totusque Iſraëlitarum exercitus, donec occidiſſent „omnes mares Idumaeos. Reuerſo dixit Dauid: Cur „hoc feciſti? ille reſpondit: Quoniam ſcriptum eſt, „(Deut. XXV, 19.) Delebis SACHAR (זכר), i. e, mares „Amalekitarum. Dixit (*Dauid:*) At vero SECHER „(זכר), i. e. nomen, legendum eſt. Reſpondit (*Joab:*) „Ego vero vt Sachar legerem, edoctus ſum. Abiit, in„terrogauitque praeceptorem ſuum, quomodo ſit legen„dum. Is dixit: Sachar (*legendum eſſe.*) Tum acinacem „ſtrinxit, vt occideret eum. Ille dixit: At cur? Reſpon„dit (*Joab.*) Quoniam ſcriptum eſt (*Jerem. XLVIII. 10:*) *Maledictus ſit, qui opus Dei negligenter facit.* „Tum ille: In eo igitur acquieſcas, vt maledictioni miſer ego ſim obna-

(e) Ibid.
(f) Baua bathra, fol. 21, 1. 22.

„ obnoxius. Respondit autem illi: Scriptum quoque „ est, *(Jer. XLVIII, 10.) Maledictus quoque sit, qui gla-* „ *dium cohibet a sanguine.* Sunt, qui dicunt, quod „ eum occiderit. Sunt vero etiam, qui dicunt, quod „ eum non occiderit. „

Ludi magistri iura.

§. 65. Si quis ludi magister scholam aperire velit; *incolae eiusdem* vel *atrii* (אין בני החצר) vel *plateae* (או בני המבוי) eum, ne id faciat, *impedire nequeunt.* (יכולו למחות בידו) *(g)* Verum etiam ludi magister vnus alteri in sua vicinia ludum aperturo impedimento ne sit. Quoniam scriptum est Es. XLII. 21: *Deus delectatur probitate eius, Magnificet legem & ornet (h).*

Ludi magistrum mutare licet.

§. 66. *Praeceptorem mutare licet*, mittereque filium ab imperitiori ad peritiorem; ab eo, cuius docendi methodus deterior sit, ad illum, qui meliori vtatur. Nec resistere possunt vicini id facturo, causando, se solos, nisi ille concurrat, ludi magistrum sustentare non posse. Quin *si melior haberi possit* praeceptor, publica auctoritate constitutus *deterior ab officio remoueatur* (מסלקין) *(i)*.

Quot pueris magister vnus sufficiat.

§. 67. *Non nisi 25. pueris* praeesse posse *praeceptor, vnus* creditur *(k)*. Hinc si plures discipuli adsint, saltem ad quadragenarium numerum si excreuerint; *collega* ipsi *detur*. Sin *praeceptor publica auctoritate constitutus* (מלמד סתם לכל התינוקות שבעיר) sit; *ipse collegam* subordinatum, vel pro discipulorum numero duos aut plures, *sibi adiungat*, coetusque illis stipendia det.

Diligentia.

§. 68. *Per integrum diem noctisque* aliquam *partem* (כל היום וקצת מהלילה) praeceptor in docendo sit occu-

(g) Baua bathra, fol. 20, 2. 21, 1.
(h) Baua bathra, fol. 21, 2.
[i] Baua bathra, fol. 21, 1. *[k]* Ibid.

cupatus: vt pueri interdiu & noctu legis ſtudio incumbere (ללמוד ביום ובלילה) diſcant. Quin ita praecipiunt: (*l*) אין מבטלין את התינוקות אפילו לבניין בית המקדש *Si vel templum reſtaurandum eſſet, non tamen pueris feriae eſſent concedendae.* Has igitur praeceptor illis ne det, niſi poſtremis horis diei ſabbathum vel feſtum diem praecedentis. *Nec ipſo ſabbathi die a ſtudio ſuo ceſſent:* Attamen noua ne legant; ſed iam ante lecta repetant (*m*). Hinc inſomnes noctes ne ducat praeceptor, multo minus compotationibus nocturnis gaudeat; ne interdiu ſit ſomnolentus. Jeiuniis ne ſe maceret (*n*), nec cibos immodice ingurgitet: quia vtrumque corpus debilitat & alacritati officit. Denique quicunque praeceptor ſolos in ſchola pueros relinquit & aliorſum euagatur, vel negotiis aliis inter docendum occupatur, vel docendo ſegnem ſe praebet (שנתרשל בתלמודו); in illum dictum, eſt id: (*o*) *Maledictus ſit, qui opus dei ſegniter agit.*

Diſciplina.

§. 69. *Verberibus* omnino *coërceat* pueros magiſter; ſi opus ſit, vti timor iis incutiatur & induſtria acuatur. *Ne* tamen *iuſto ſeuerior ſit diſciplina.* Ne inimico animo (מכת אויב) nec cum ſaeuitia (מוסר אכזרי) eos caſtiget. Ne igitur ſcutica (שוט) vel baculo (מקל), ſed tenuiori loro (רצועה קטנה), vtatur (*p*).

Quando diſcere incipere debeat puer.

§. 70. *Quam primum fari* puer *incipiat*, doceatur verba: Deut. XXXIII, 4. *Legem nobis iniunxit Moſes; quae coetus Jacobi diuitiae ſunt.* Subiungatur: Deut. VI, 4.: *Audi, o Iſraël, ſummum numen, Deus noſter, eſt ſolum numen.* Sequantur paulatim plura (*q*). Vbi *tertium aetatis*

[*l*] Schabbath, fol. 119, 2.
[*m*] Nedarim, fol. 37, 1.
[*n*] Taanith, fol. 11, 2.
[*p*] Baua bathra, fol. 21, 1.
[*o*] Ier. XLVIII, 10.
(*q*) Succah, fol. 42, 1.

tatis annum impleuit, literarum Hebraearum figuras (אותיות התורה) doceatur, vt expedite in codice ſacro legere poſſit. *Annum quintum vbi impleuit* (בן חמש שנים שלימות), ſi robuſtis ſit; ſed, ſi infirma valetudine vtatur, non ante *ſextum aetatis annum completum*, ludi magiſtro tradatur; non citius (*r*). Pueri enim, qui ad hanc aetatem nondum peruenerunt, *legis iugo ferendo impares ſunt.* (שאין כח בתינוק לסבול עול תורה בפחות מכאן.)

§. 71. Si quis puer adeo *ſtupidus* ſit, vt vel ſex annos natus nihil adhuc diſcere poſſit; *ad ſcholam* tamen nihilominus *ablegetur*, ſedeatque inter ceteros; ſi fortaſſe cum tempore ex illo ligno fieri poſſit Mercurius. (*s*) Cum ſtupidis quid ſit faciendum.

§. 72. His in ludis *legere & intelligere* diſcant *codicem ſacrum*; non, vt balbutire hebraica poſſint; ſed ut ſermonem hunc inſtar vernaculi familiarem ſibi reddant. *Initium* fiat *a Leuitico*. Pergant dein ad cetera. Legant & relegant; donec habitum ſibi acquiſiuerint. *Annum decimum* vbi attigerint, ad *Miſchnam*; vbi vero *decimum quintum*, ad *Gemaram* accedant (*t*). Horumque librorum ſcribendi rationi quoque aſſuefiant. Edoceantur ſimul gentis ſuae *praecepta*; eorumque rationes, pro ſuo captu. Vt ii, qui doctrinae ſubtiliori animum applicare decreuerunt, bene inſtructi in academiam emigrare poſſint. Lectiones.

CAP. VI.
DE ACADEMIIS.

§. 73. *Ludos* puerorum luſtrauimus, inque iis praeceptores & diſcipulos. Ad *academias* pergamus, *pro-* Academica ſtudia.

(*r*) Pirke Abhoth, cap. 5. fol. 7, 3. Ktubhoth, fol. 50, 1.
(*s*) Baua bathra, fol. 21, 1.
(*t*) Pirke Abhoth, cap. 5. fol. 7, 3.

profeſſores & ſtudioſos ſalutaturi. Reſeruantur autem academiis praecipue Miſchna & Gemara; hoc eſt, legis ore acceptae ſtudium & ſcientia. Neque illae ſacratioris eruditionis partes, quas ſecundi ordinis eſſe ſupra diximus, negliguntur.

Academiarum nomina.

§. 74. *Academiis* nomen *conſeſſus* (ישיבה vel מתיבא) a Iudaeis tribuitur, a docentium & diſcentium confluxu; qui quondam, republica eorum adhuc florente, multorum millium ſaepe fuit. Figuratis quoque nominibus eas ornare conſueuerunt; vt *vineae* (כרם, כרמא); (*u*) &c.

Auditoria.

§. 75. *Auditoria*, in quibus docetur, dicuntur *Aedes diſquiſitionum* (בתי מדרשות), vel *domus doctrinae* (בית אולפנא), vel *aedes doctorum* (בית רבנן), vel *auditorium publicum* (בי כלא); et ſi priuata vnius alicuius doctoris ſint, *domus congregationis* (בית הוועד), vel *domus doctoris* (בית רב). Haec auditoria eidem vſui, cui proſeuchae, inſeruiunt. Praeterea vero illi, qui ſublimiori legis peritiae operam dare cupiunt, in illis eruditur. Eruditi iis quoque pro muſeis uti ſolent. Quare *major horum*, ſaltem publicorum, *quam Synagogarum*, *ſanctitas* eſſe creditur. Quia hae precibus, illa autem doctrinae ſunt deſtinata. *Potior* autem *doctrina eſt.* (ידוע שתלמוד תורה עדיפא). Adeoque *proſeuchen in* tale *academicum auditorium conuertere fas eſt; non contra:* (*w*) quia *in ſacris ſemper eſt aſcendendum, non deſcendendum* [מעלין בקדש ולא מורידין]. Mireris, *permitti* a nonnullis, quod in proſeuchis facere nefas eſt, vt in his auditoriis academicis *edatur*, *bibatur* & *dormiatur*; non tamen inter docendum. Ipſum templum ſecun-

dum

(*u*) כרם ביבנה i. e. *Academia Iabhnenſis.* Vid. Ktubhoth, fol. 49, 1. Et Iſaacidem & Maimonidem ad hunc locum. Iebhamoth, fol. 42, 2. In hac vinea vites ſint doctores. Hinc Chriſtus, Ioh. XV, 1: Ἐγώ ἐιμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή.

(*w*) Megillah, fol. 26, 2. 27, 1.

dum duo eiusmodi auditoria academica habuit(x); quorum alterius porta in antemurale patebat; alterum prope portam Susan fuit. *Priuata* in aedium contignationibus superioribus quondam esse solebant; vnde *coenaculum superius* (עליה) [y] non raro appellantur. Minime vero aedificiis vel certis auditoriis se alligari patiebantur; sed & *sub dio* res suas proponere consueuerunt. (z) Hodie, quibus in locis Iudaeorum coetus maior habitat, prope synagogam vel vnum vel etiam plura auditoria academica esse solent.

§. 76. Quales autem *professores* erant? Quid dicemus? habueruntne professores, an nullos? Sive affirmando responderis siue negando; a vero non multum aberraveris. Si tibi professores sint soli illi, qui publica auctoritate in academiis doceant, publicisque stipendiis militent: negandum tibi erit, Iudaeis professores, vt professores, fuisse; sed non nisi priuatos habuerunt doctores. Professores, dico, vt professores. Doctorum enim academicorum doctissimi tribunalium, cum inferiorum, tum supremi illius Hierosolymitani, membra simul fuerunt. Hos igitur si vt iudices spectes, clausum suum habebant collegium, suique illis quoque fuerint reditus. Hoc vero nihil, si rem accurate excutere velis, ad academiam. Sin professores appellare malis

Professores.

(x) Maimon. in Sanhedr. Perek 3. & R. Nathan in Aruch in חל. Citante LIghtfoot, Tom. I. p. 566. 591. In horum altero Iesus à parentibus inter doctores fuit inuentus, Luc. II, 46.

(y) Schabbath, fol. 13, 2. In N. T. Ὑπερῷον. Act. I, 13. IX, 37. 39. XX, 8.

(z) Moëd katan, fol. 16, 1. 2. Vbi Johannes baptista, Christus, & apostoli, pro istarum regionum istorumque temporum moribus, saepissime quoque docuerunt.

lis omnes illos, qui in academiis docent, qui omnino sunt, licet nomine hodie careant; sui Judaeis fuerunt professores, iique satis *multi & doctissimi*. Attamen cum vnicuique legis perito eam docere incumbat [§. 51.]; & ad tribunalia eruditorum praestantissimi traherentur: tribunal superius nullibi erat, quin ibidem academia esset; nec iudex quis erat, quin idem esset professor. Hos igitur iudices si solos professores dicere malis, ceterosque, qui docerent quidem, tribunalium autem membra simul non essent, *doctores priuatos*; id quoque facere possis. Nobis & illi & hi professorum nomine venient. Erat igitur & esse debebat *professor* apud Judaeos, *vir eruditus* quilibet, *ad docendum aptus*, dummodo esset *promotus*. Isque, cum doceret; *caput consessus* (ראש הישיבה) vel *cogens coetum* (בעל הישיבה) vel *doctor legens* [רב] appellabatur. Imitantur priscorum mores Judaei hodierni.

Pietas professorum.

§. 77. Prima *professoris virtus* non infucata esse debet *pietas*. Quippe praecipiunt Judaei, *si quis doctor probus non sit* (רב שאינו הולך בדרך טובה), *si vel tanta eius eruditio sit, vt omnes eo carere nequeant*, (אף אל פי שחכם גדול הוא וכל העם צריכין לו) *hunc tamen frequentandum non esse, donec ad frugem redierit*. (אין למדין ממנו עד שיחזור למוטב) Id quod cogunt ex illo [a]: *Labia enim sacerdotis custodiant scientiam, & de lege consulas eum, si angelus Dei exercituum sit* [b]. Quippe particulam *ki* [כי] per, *si*, reddentes hunc in modum verba interpretantur: Si angelo Dei sit similis, consulito eum, sin minus, ne consulito.

§. 78. *Prudentiae* est, *ne nimis familiarem studiosis* se praebeat professor. Interdixerunt hoc Talmudici, dicen-

(a) Malach. II, 7.

(b) Moëd Katan, fol. 17, 1. Idem Christus praecipit, toties monens discipulos, vt a Pharisaeis sibi caueant, quorum mores doctrinae non respondeant.

cendo [c] זרוק מורא בתלמידים, *Reuerentiam discipulis inculca.* Culpanda autem haec quaenam est familiaritas? Genio si liberalius, iis praesentibus, indulgeat. Si comessando bibendoque ducem se illis praebeat. More palatino si bibat, ne gutta superfit. Si decori negligens efficiat, vt, reuerentia abiecta, idem in auditorio quod in caupona sibi licere existimantes, debitam attentionem non adhibeant. Cetera *honore prosequatur discipulos*, a quibus se non contemni cupit.

§. 79. *Doctrina superficiaria esse nec debebat* nec poterat; cum indigni non promouerentur; nec docendi methodus id permitteret, ceu ex sequentibus mox apparebit. Cum etiam penes studiosos positum esset, quem sibi doctorem eligere mallent, indocti asseclas habituri vix fuissent. Doctrina enim & auditorum applausus professorem apud eos faciebant. Erant tamen doctrinae gradus. Nec raro contingebat, vt magistrum superaret discipulus. Quid in professores sibi sumserint saepe studiosi, ex ista Abaiae querela videre est [d]: Abaie „ dixit: Mei causa [*praematura morte*] punitus est [*Ada „ filius Abae*,] quoniam commilitonibus dicere solitus „ fuit: Quid, quaeso, ossa in Abaiae praelectionibus „ roditis? Venite, & in Rabae praelectionibus carni„ bus vescimini!„ Doctrina professorum

§. 80. *Studiosi* appellantur *discipuli* (תלמידים), vel *discipuli sapientum* (תלמידי חכמים). Illius autem discipulus habetur aliquis, cuius aliquando praelectiones frequentauit, & cui vel vnicum doctrinae caput, si vel magni momenti non sit, (רבר אחר בין קטן בין גרול) acceptum habere Studiosi.

(c) Ktubhoth, fol. 103, 2.
(d) Baua bathra, fol. 22, 1.

bere debet; si vel plus ab ipso doctor didicerit, quam ipse ab illo doctore. Cautum est autem apud Judaeos, *ne quis sine iudicio multorum doctorum subsellia premat*; sed vnum aliquem sibi eligat virum probum & peritum, cui perpetuam operam nauet. Isque *praeceptor* illius *praecipuus* (רבו גמור vel רב מובהק) id est, *cui vel omnem suam eruditionem vel maximam illius partem debeat*, (שלמד רוב חכמתו ממנו) appellatur [e]. Studiosus vicissim huius *genuinus discipulus* (תלמיד גמור) [f] id est, *qui sua omnia illi accepta habere debeat*, dicitur. Genuino discipulo, secundum quosdam, opponitur *discipulus collega* (תלמיד חבר); dum eum describunt, *qui doctori, cuius collega sit factus, potiorem doctrinae suae partem acceptam non habeat, illoque multo inferior esse possit.* (כל שאין רוב חכמתו ממנו אע"פי שלא נתחכם להיות קרוב כמוהו). Aliis autem discipulus collega [תלמיד חבר] est is, *qui illos in literis fecerit progressus, vt praeceptoris socius vel collega fieret, postquam doctrina illi par sit factus* [שנתגדל בתורה עד שנעשה חבר לרבו כלל שהוא קרוב להיות גדול כרבו]. Vt adeo ex genuino discipulo discipulus coliega sit factus. In vtroque fortasse significatu legatur. *Sehammaeus* magni *Hillelis discipulus collega* fuisse creditur [g].

Pietas studiosorum.

§. 81. Non nisi *discipulus probus* [תלמיד הגון נאה במעשיו] saltem quem improbum esse non constet [תם], est admittendus [*]. Improbus [הולך ברוך לא שובה] autem repellatur, donec mores mutauerit. Dixerunt Talmudici [h]: כל השונה לתלמיד שאינו הגון כזורק אבן למרקולים. *Qui di-*

(e) Baua mezia, fol. 33, 1.
(f) Tales Christi discipuli fuerunt apostoli.
(g) Sepher Juchasin, fol. 19, 1. ed. Cracov.
(*) Brachoth, fol. 28, 1. Taanith, fol. 7, 1.
(h) Chulin, fol. 133, 1. Megillah, fol. 28, 1. Idem Christus monet,

discipulum improbum ad altiora erudit, idem agit, ac si Mercurium lapidibus peteret. Hoc enim qui facit, Mercurium ignomina affecturus, cultum illi praestat. Improbumque qui erudit, bonum opus se facturum sperans, *vt cupiditati prauae imperare discat*, (שיבוה את יצרו), efficit, vt vel *in deterius ruat* (פקר טפי).

§. 82. *Indefesso studio res suas tractent studiosi. Nemo* inter docendum *dormiat* (אין ישנים בבית מדרש). *Ibi enim qui dormiturit, non nisi doctrinae lacinias deportabit* [בל המתנמנם בבית המדרש חכמתו נעשית קרעים קרעים] [*i*]. Secundum illud [*k*]: *Pannisque induet dormitatio! Nemo garriat*, [אין משיחין בבית המדרש אלא בדברי תורה]. [*l*] Quin si quis sternutet, ne quidem, *vt tibi proficiat*, dicatur [*m*]. *Ne* intempestiue *discipulum pudeat*, qui commilitonibus tardior sit. Verissime enim dicitur: לא הבוישן למד. *Quem facile pudet, doctus non euadit* [*n*]. Quae quis non intellexit, ea se intellexisse ne simulet. Sed rem sibi denuo exponi roget [*o*]. Idque iterum iterumque faciat, si opus sit, donec tandem intelligat, quae proposita fuerunt. Nec doctoris patientia se abusurum timeat. Is enim si tandem irascatur, dicat: רבי תורה היא וללמוד אני צריך ודעתי קצרה. *O mi praeceptor, res legis hae sunt, quam me discere oportet. Judicii autem curta mihi supellex est.* Professor autem studiosis a se

Industria studiosorum.

net, Matth. VII, 6: μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, μηδὲ βάλητε τὰς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων. Eademque de causa non admisisse videatur discipulum illum, Matth. VIII, 19. 20.

(*i*) Sanhedrin, fol. 71, 1. Conf. Succah, fol. 28, 1. *Eutychus*, qui, docente Paulo, dormiebat, non impune id tulit, Act. XX, 9. 10.

(*k*) Prou. XXIII, 21. (*l*) Succah, fol. 28, 1.

(*m*) Brachoth, fol. 53, 1. (*n*) Pircke Abhoth, cap. 2. fol. 2, 2.

(*o*) Fecerunt id Christi discipuli, Matth. XIII, 10. Marc. X, 10.

a se dicta non statim capientibus ne irascatur. *Iracundum* [קפרן] enim *doctorem esse minime decet* [*p*]. Sed facilis sit ad repetendum iterum iterumque, quae intellecta nondum fuerunt (*q*). Quod tamen dictum tantummodo esto, si tam abstrusa proponantur, quorum profunditatem rimari difficile sit. *Sin desides* diligentiam non adhibeant; *irasci* illis *tenetur*, eosque verbis castigare (להכלימם בדברים) (*r*).

Docendi muneris dignitas:

§. 83. *Non* aeque *facile*, atque apud nos est, apud Judaeos *erat docere*. Non sola studiosorum, qui doctrinae illius se commisissent, erat cinctus corona; verum etiam ex vulgo, quibus volupe esset, praesentes esse poterant; sed & ex ceterorum doctorum discipulis multa doctrina iam imbutis, ex iam promotis, ex ipsis collegis, qui vellent. Terreat hoc bonum virum, qui nihil humani a se alienum esse putet. Vincat sane pudorem, qui vel nesciat quantum sit quod nesciat, vel pudoris limites transilierit. At vero quid monstri, quod his ipsis quoque terrorem incutere possit! Auditoribus hisce silentium impositum non erat. Dubitabant; interrogabant [*s*], dictorum probationes requirebant; probationes *allatas* vacillare monebant; contrariam tuebantur sententiam; faciebant quicquid acerrimorum esset disputatorum. Neque moris erat, vt sub conflictus finem lauream necessario deportarent praeses & respondens; nisi id iure fieret. Et ad haec omnia docenti ex tempore erat respondendum. Tum sane lapsum esse, errasse, nescisse, obmutuisse, turpe erat & deplorandum. *Ex* hu-

(*p*) Pircke Abhoth, cap. 2. fol. 2, 4. (*q*) Erubhin, fol. 55, 2
(*r*) Fecit hoc Christus aliquoties, vbi opus esset. E. g. Matth. XVI, 8-12. 23. Luc. XXIV, 25. 26.
(*s*) Luc. II, 46: Καθεζόμενον ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων, καὶ ἀκούοντα αὐτῶν, καὶ ἐπερωτῶντα αὐτούς.

huius generis *disputationibus tota* fere *Gemara* est compilata. In quibus non desunt, vbi *ad silentium doctor* fuit *redactus*. (*t*) Equidem *veberiorem hoc faciat doctrinam; rariores autem doctores*. Quod dicere consueuimus, *docendo discimus*, id eleganti simili illustrant Judaei (*u*): בשם שעץ קטן מרליק את חגרול כך תלמידי חכמים קטנים מחדדים את הרב בשאלותיהם עד שיוציאו ממנו הכמה מפוארה „Quemadmodum titio paruus accendit rogum magnum, ita discipulorum vel minimus „quaestionibus suis doctoris iudicium acuendo, efficit, „vt doctrina eius in immensum excrescat.„ Agnouit hoc Rabbi Juda sanctus, dicere solitus: (*w*) הרבה למדתי מרבותי ומחברי יותר מרבותי ומתלמידי יותר מכולם „Multum di„dici a praeceptoribus meis, plus a collegis, plurimum „a discipulis.„ Vt tamen docentis periti existimationi consuleretur, discipulorum interrogandi licentiam iustis limitibus circumscriptam fuisse mox videbimus.

§. 84. Ante Gamalielis tempora *solus doctor sedebat*, (הרב יושב) *discipuli* autem *stantes* auscultabant (תלמידים עומדים). (*x*) Dein vero *hi quoque consederunt*. Cautumque fuit, ne doctor in sella (כסא), auditores autem in terra [על הקרקע] sederent; sed vt & ille & hi vel in sellis aut scamnis, vel in terra. (*y*) Effici id putant ex verbis dei Mosi dicentis: (*z*) *Tu autem hic sta apud me*. Id quod nonnulli tamen de mox promouendis tantummodo dictum esse suspicantur. In corona doctorem, in digniori auditorii loco sedentem, cinxerunt auditores; vt omnes illum & videre & audire possent. §. 85.

Docens sedeat. Auditores vel stent vel sedeant.

(*t*) E. g. Pschim, fol. 28, 1.
(*u*) Taanith, fol. 7, 1. (*w*) Taanith, fol. 7, 1.
(*x*) Megillah, fol. 21, 1. Ita Christus docens sedebat, & auditores stabant, Matth. V, 1. XIII, 1. 2.
(*y*) Megillah, fol. 21, 1. Act. XX, 9.
(*z*) Deut. V, 28.

Limites interrogando positi.

§. 85. Discipulorum *interrogandi libertas* iis *inclusa* fuit *cancellis*, ne periti doctoris periclitaretur existimatio, & ne decori limites transilirentur. Non interrogare licet eum, nisi *vbi sedati sit animi* (בישוב הרעת). Non igitur, auditorium modo ingressum, antequam consederit; neque magis abitum parantem, vbi iam assurrexerit. *Ne duo simul interrogent.* Ne quis interroget, nisi *de re illa, in qua explicanda doctor haeret* (בעניין); (a) neque in illa de diuersa lege (בהלכה אחרת); neque de re, quae tribus legibus ditior sit, (בעניין יותר מג' הלכות) Ne quis interroget stans in loco excelsiori (מגבוהו), vel e longiquo (מרחוק), vel a tergo seniorum (מאחורי הזקנים). Nemo denique auditorium modo ingressus, donec consederit & respirauerit.

Respondeat professor ad quaestionem digniorem.

§. 86. *Si duo simul interrogauerint*, alter de *re in qua explicanda haereat*, (בעניין), alter de *re diuersa*, (שלא בעניין); priori respondeat professor. Si alter *casum existentem* (מעשה) proponat, alter *casum fictum* (שאינו מעשה); priori respondeat. Si alter *constitutionem iuris* (הלכה) petat, alter nudam *effati exegesin* (מדרש); priori respondeat. Si *effati exegesin* (מדרש) petat alter, alter *quaestionem moralem* [הגדה] proponat; priori respondeat. Si *quaestionem moralem* [הגדה] alter proponat; alter *argumentum a dispari* (קל וחמר), ad *argumentum a dispari* respondeat. Si alter *argumentum a dispari* (ק"ו), alter *argumentum a vocabulorum conuenientia* (גזרה שוה), priori respondeat.

Respondeat digniori.

§. 87. Si interrogantium alter sit *vir doctus* (חכם), alter *studiosus* (תלמיד חכם); respondeat *collegae*. Si alter *studiosus* (ת"ח) alter *indoctus* (עם הארץ); *studioso* respondeat: Si vel *spurius* (ממזר) studiosus ille, & pontifex maximus

(a) Schabbath, fol. 3, z.

ximus sit interrogans ille alter indoctus. (*b*) Si nulla nec personarum nec quaestionum disparitas sit; cui primo loco respondere velit, penes illum est positum.

§. 88. *Exploret* denique professor *studiosorum profectus*. (*c*) Huius vero maior est in interrogando libertas; vt attentos auditores faciat (כדי לזרז). Quippe quaestionem *de re, de qua in praesenti non agitur*, (בעניין אחר שאין עוסקין בו), quin proponat, nihil impedit. (*d*) *Captiosas* quoque *quaestiones* proponere licet (להטעות את התלמידים בשאלותיו); (*e*) licet sophismata nec opponens nec respondens afferre debeat. *Faciat* quoque *insolita* nonnunquam, quae in admirationem discipulos rapiant. (במעשים שעושה לפניהם). (*f*) Examen.

§. 89. Quondam, si vellet professor, sermonem suum ad discipulos dirigebat (היה הרב מלמד מפיו לתלמידים); sin mallet, *per interpretem* cum illis agebat (מלמד על ידי מתורגמן). Hoc si praeferret, interpres inter professorem stabat & studiosos. Doctor interpreti dicebat, quae proponere volebat; hic coetui. Si de qua re quis interrogare vellet (וכשהן שואלין); interpreti quaestionem proponebat; interpres doctori. Respondebat (משיב) doctor interpreti; & hic interroganti. Cum doctor & interpres inuicem colloquerentur, neuter eorum clariori voce quam alter loqui debebat. (לא יגביה הרב קולו יותר מקול המתרגם ולא יגביה המתרגם קולו בעת ששואל את הרב יותר מקול הרב). (*g*) Iis, quae a doctore dicebantur, nefas erat interpreti quicquam demere Docuerunt quondam per interpretem.

(*b*) Mischna Horiioth, fol. 13, 1.
(*c*) Hoc Christus fecit, Matth. XVI, 15.
(*d*) Baua mezia, fol. 97, 1. (*e*) Brachoth, fol. 33, 2.
(*f*) Ibid. Tale quid erat pediluuium, Joh. XIII, 3-17.
(*g*) Brachoth, fol. 45, 1.

mere (לפחות), vel addere [להוסיף], vel de iis immutare (לשנות), nisi forte doctoris vel pater esset vel praeceptor. Quodsi vero doctor diceret: *Ita me docuit praeceptor meus* (כך אמר לי רבי), vel: *Ita me docuit pater idemque praeceptor meus* (כך אמר אבא מורי); Tum interpretis erat, doctoris illius, ad cuius auctoritatem prouocauerat, nominare nomen, & dicere: *Ita doctor N. N. docuit* (כך אמר רבנא פלוני). (*b*) Cuius rei haec est ratio, quod docenti praeceptoris vel patris nominare nomen nefas erat, (שאסור לקרות לרבו או לאביו בשמו); ceu mox videbimus: auditorum vero intererat scire, quem illa doctrina agnosceret auctorem.

Prouocatio ad praeceptorum autoritatem.

§. 90. Quia enim doctrina ore accepta a Mose ad posteros fideliter propagata creditur; antequam Talmud conscriberetur, *auctor effati* alicuius *reticeri nec poterat nec debebat*, si fides illi haberi deberet. [*] „Quin *verba praeceptoris sine vlla immutatione*, vt prolata ab illo fuerant, erant *recitanda:* (*i*) ne diuersa illi affingeretur sententia. Fit hoc per totam Mischnam & Gemaram, ceterosque Judaeorum symbolicos libros. Quare non est, cur dubitemus, quae in illis antiquioribus doctoribus tribuuntur effata, ipsissimis verbis ab illis fuisse vel concepta, vel a suis praeceptoribus accepta. Imitantur hanc priscorum consuetudinem Judaei recentiores. Quare plagii temere accusari non debent, qui ipsissimis saepe verbis suis in libris vtuntur.„

CAP.

(*b*) Kidduschin, fol. 31, 2.
(*) Brachoth, fol. 28, 1.
(*i*) Schabbath, fol. 15, 1.

CAP. VII.

DE PROMOTIONE.

§. 91. Quamdiu Iudaeorum in Palaestina & per orientem academiae florerent, illi, *qui* ad eum eruditionis peruenerant gradum, vt id *mereri viderentur*, *rite promouebantur*. Neque hodie id apud eos insolitum est. *Promotorum dignitas* quanti apud eos fuerit, ex eo appareret, quod *regibus & pontificibus ad latus ponerentur*; immo illis *praeferrentur*. Quippe ita loqui consueuerunt: Promotio eiusque dignitas.

בשלשה כתרים נכתרו ישראל בכתר תורה וכתר כהונה וכתר מלכות

Tribus Israëlitarum redimita sunt tempora coronis; lauro doctorum, cidari pontificali, & diademate regio [*k*]. Cidarim pontificalem soli Aharoni eiusque semini cessisse monent; diadema regium soli Dauidi eusque posteris. Laurum doctorum autem omnibus singulisque Israëlitis offerri, dummodo oblatam repudiare nolint. Quippe ita in pentateucho legi, Deut. XXXIII, 4: *Legem nobis iniunxit Moses, quae Iacobidum possessio est.* Cuicunque igitur volupe est, accedat & accipiat. (כל מי שירצה יבא ויטול). Ne quis coronam toti genti permissam ceteris ignobiliorem esse suspicetur; vt nobilissimam omnium esse euincant, hanc demonstrationis viam ingrediuntur. Neminem ignorare; quod rege inferior sit pontifex [*l*]. Jam vero doctrinam regno praestare. Quoniam dicatur, Prov. VIII, 15: *Per me* (sapientiam,) *reges imperant.* Dignius autem ipso imperante esse id, per quod imperet.

(*k*) Ioma, fol. 72, 2.
(*l*) Horiioth, fol. 13, 1.

ret. Dicunt etiam Talmudici: (*m*) חכם קודם למלך חכם שמת אין לנו כיוצא בו מלך שמת כל ישראל ראויים למלכות „ Vir doctus ipso rege praestantior est. Vir doctus „ enim si moriatur, non facile inuenias alium similem. „ Rex autem si moriatur; quilibet Israëlita regnum a- „ dire possit. " Neque vero opus est, vt per latus regium petatur pontifex. Quippe ita prouerbiorum auctor pronunciauit [*n*] *Margaritis illa* (sapientia,) *pretiosior est.* At vero vocabulis PNINIM [פנינים] id est, *margaritarum*, & LIPHNAI LIPHNIM (לפני לפנים), id est, *adyti*, hic ludunt. *Pretiosior est sapientia pontifice, cui adytum ingredi fas est.* [מכהן גרול שנכנם לפני לפנים].

Duplex promotio.

§. 92. *Duplex* apud Iudaeos *promotio* obtinuit. Altera *tribunalium* erat; altera *academiarum.* Vtrique *impositionis manuum* [סמיכה] nomen dederunt. Quae nominis conuenientia effecit, vt confunderentur, quae confundi minime debebant. Accedit, quod eaedem personae utraque promotione saepe essent inuestiti. Nos duas has promotionis species distinguemus; memores, eadem vocabula significatu diuersissimo non raro usurpari; eundemque virum plures repraesentare posse personas.

Promotio iudicum.

§. 93. In *causis pecuniariis* [דיני ממונות] *arbitris* frequentissime vtebantur Iudaei; ad tribunalia eas non deuoluentes: [*o*] *Arbitri* hi *vel illiterati* esse poterant; licet *eruditi praeferrentur*; pro partium arbitrio. Dispar *causarum criminalium*, vbi *multa arbitraria* alterutri parti irroganda esset [דיני קנסות] ratio fuit. *Has decidere non poterant, nisi tribunalia vel iudices rite constituti.* Erat igitur

(*m*) Horiioth, fol. 13, 1. (*n*) Prou. III, 15.
(*o*) Vt hac in re Judaeos imitentur Christiani, suadet Paulus, 1. Cor. VI, 1. - 6.

tur haec *ad iudicis criminalis dignitatem euectio* illa, quam *in iudices promotionem* appellabimus; & quam ab academica promotione distingui debere diximus: Licet viri non nisi doctissimi, & qui honoribus academicis ornati iam essent, in iudices causarum criminalium promouerentur.

Promotionis in iudicem ritus.

§. 94. De *promotionis in iudicem ritibus* non omnes idem sentiunt. Nomen *impositionis manuum* [סמיכה] actui huic tributum, promouendo manus impositas fuisse, arguere videatur. Id quod antiquissimis quoque temporibus quin sit factum, non est cur dubitemus. Moses sane in magistratu Iosuam sibi surrogaturus, isto ritu sit usus [*p*] Idem vero num de sequentibus temporibus sit dicendum, & quamdiu ritus ille obtinuerit; non tam facile dictu est. Manuum impositioni *verba* per Mosen addita fuerunt [*q*]. Certis quoque verbis recentiorum temporum promotores dignitatem hanc promouendis contulisse nemo dubitat. De *solennitatibus* in hac promotione obseruare solitis pro nobis ipsum Talmud loquatur: [*r*] תנא סמיכה וסמיכת זקנים בשלשה: מאי

סמיכה ומאי סמיכת זקנים· אמר רבי יוחנן מיסמך סבי· אל אביו לרב יוסף מיסמך סבי בשלשה מנלן· אילים׳ מרכתיב ויסמוך את ידיו עליו· אי הכי תסגו בחר· וכי תימא משה במקום שבעים וחד קאי אי הכי ליבעי שבעים וחד· קשיא· אמר ליה רב אחא ברוה דרבא לרב אשי בידא ממש סמכין ליה אל סמכין ליה בשמא קרי ליה· רבי זיהבי ליה רשות למירן דיני קנסות וחד לא סמיך וכו׳

„ Ita in Exoticis habetur: Impositio manuum & impo-
„ sitio manuum senatorum per tres [*peragi debet.*] Quid
„ (*sibi*

(*p*) Num. XXVII, 23.
(*q*) Ibid.
(*r*) Sanhedr. fol. 13, 2.

„ (*ſibi volunt verba,*) impoſitio manuum, & impoſitio „ manuum ſenatorum? Dixit Rabbi Jochanan: De „ promotione ſenatorum [*ſermo eſt.*] Interrogavit A- „ baie Rabh Ioſephum: Vnde conſtat, promotionem „ ſenatorum per tres fieri debere? Dicemusne, (*id diſci*) „ ex eo, quod ſcriptum eſt, (*Num. XXVII, 23.*) Et ma- „ nus ſuas illi impoſuit? At ſi ita; unicus ſufficiet. Di- „ cesne, Moſen tantum valuiſſe, quantum ſeptuaginta „ & vnum? Hoc ſi (*dicas, excipio,*) requiri igitur ſeptua- „ ginta & vnum. (*Ad*) dubium (*hoc reſponſum non fuit.*) „ Interrogauit Rav Acha filius Rabae τὸν Rav Aſche: „ Num manu, prout verba ſonant, promouerunt eum, „ (*promouendum*)? Reſpondit illi (*Rav Aſche:*) Impoſue- „ runt illi titulnm honoris. Quippe Rabbi appellatus „ fuit. Dederuntque illi facultatem de mulctis arbi- „ trariis decernendi. Vnicus autem neminem promo- „ uit. „ *Diſci ex his debebat*, num candidato manus *fue- rint* impoſitae, nec ne. At vero ex vocabulo ar- gumentnm peti nequit: quia retineri vocabulum po- tuit, ritu, qui rei nomen dederat, iam dudum abro- gato. Ad quaeſtionem tam oblique quoque reſponde- tur, vt ſatis intelligi nequeat, num iſto tempore, de quo loquuntur, manuum impoſitione vſi adhuc fue- rint, nec ne; num illa neceſſaria fuerit, an omitti po- tuerit. Et hoc eſt, quod nos torquet. Si Maimonidi (*s*) credere velimus, ritu hoc non ſunt vſi. Id vero diſcimus, *virum vnum promouere nequiuiſſe candidatum*; ſed *tres* ad hoc negotium *requiri*. Maimonides (*t*) diſputat, num hi tres omnes promoti iudices eſſe debuerint. Af- firmat de ipſo promotore; duos illos, qui aſſiſterent, non

(*s*) Commentar. in Miſchn. ad Sanhedr. cap. 1, 3. fol. 11, 1. 2.
(*t*) Ibid.

non promotos esse potuisse contendit. Quin addit, totius coetus, in quibus nemo promotus iudex sit ipse, auctoritate promoueri quem posse; & hunc ita promotum ceteros dein rite promouere. Numquid praeterea in hac solennitate dictum fuerit vel gestum, cum Gemara reticeat, nos quoque silentio praeterimus. Haec nihil addit, nisi quod *promoto titulus Rabbi* (רבי) fuerit *datus*. Alibi [*u*] legitur, promotorem dixisse promouendo: אני סומך אותך תהיה סמוך *Ego te promoueo; esto promotus*. Quemadmodum enim a manuum impositione, siue illam semper retinuerint, siue recentioribus temporibus abrogata fuerit, hic actus SMICHAH (סמיכה) i. e. *manuum impositio*, ita *promotor* SOMECH (סומך) i. e. *manum imponens*, & *promotus* SAMVCH [סמוך] vel NISMACH (נסמך) i. e. *cui manus impositae sunt*, fuit appellatus.

§. 95. Qui in iudicem promouere alium vellet, hunc ipsum iudicem rite promotum esse debuisse, modo vidimus. (§. 94.) Talis qui esset, ad hunc actum exercendum erat aptus. Traduntque, antiquioribus temporibus quemlibet *rite promotum iudicem*, quem dignum esse intelligeret, *pro lubitu promouere in collegam* potuisse: dein vero neminem, nisi *facta per summi tribunalis* praesidem (נשיא) potestate id facere debuisse. (*w*) Promotor iudicum quis?

§. 96. *Priuilegium*, quo promotus iudex ornaretur, non nisi vnicum in loco ex Gemara allato (§. 94.) exprimitur; nimirum quod *facultas multas arbitrarias in causis criminalibus decernendi* (רשות למירן דיני קנסות) illi fuerit data. Num qua praeterea fuerint, nos definire non possumus. *Poterat* sane *promouere alios*. (§. 95.) Et vt doctor Priuilegia promotorum iudicum.

(*u*) Sepher Juchasin, fol. 60, 1. ed. Cracov
[*w*] Talm. Hierosol. Sanhedr. cap. 1. fol. 19, 1. citante Buxtorfio, Lex. Talm. p. 1498.

doctor promotus cum ceteris promotis doctoribus pari passu ambulabat. Id vero huc non pertinet.

Promotio in iudices Palestinae est alligata.

§. 97. Haec *in iudices promotio in sola Palaestina* fieri debebat; & ita quidem, vt & promotor & promouendus vterque in Palaestina essent ptaesentes. Gemaram audiamus (*x*): אמר ר' יהושע בן לוי אין סמיכה בחוצה לארץ · מאי אין סמיכה · אלימא דלא רייני דיני קנסות כלל בחוצה לארץ והא תנן סנהדרין נוהגות בין בארץ ובין בחוצה לארץ · אלא דלא סמכינן בחוצה לארץ · פשיטא סומכים בחוצה לארץ ונסמכים בארץ הא אמרינן דלא אלא סומכים בארץ ונסמכין בחוצה לארץ מאי · תשׁ דר' יוחנן הוה מצטער עלי' דרב שמן בר אבא דלא הוה גביה דליסמכי' וכו'

„ Dixit Rabbi Iosua filius Leui: Promotio extra Palae-
„ stinam fieri non debet. At quid (*verba*) ne fiat pro-
„ motio, [*sibi volunt?*] Dicemusne, (*hunc eorum esse*
„ *sensum*,) quod poenae arbitrariae extra Palaestinam
„ decerni non debeant? At ita in Mischna habetur:
„ Tribunalia & in Palaestina & extra eam erigan-
„ tur. At vero (*is verborum est sensus*,) nemi-
„ nem extra Palaestinam promoueri debere. Ex
„ his igitur, si promotores sint extra Palaestinam,
„ promouendi autem in Palaestina; (*promotionem fieri*)
„ non debere, intelligimus. Quomodo autem res se-
„ se habet, si promotores sint in Palaestina, & pro-
„ mouendi extra eam? Arrige aures! Rabbi Iochanan,
„ (*qui in Palaestina erat*,) Rau Schammanis filii Abae,
„ (*qui extra Palaestinam erat*,) vicem dolere solitus est,
„ quod secum non esset, quo promouere eum posset."

Iudices igitur promotos Judaei his in terris hodie non habent.

(*x*) Sanhedr. fol. 14, 1.

habent. Sumunt sibi tamen nonnunquam eorum magistratus, vbi maior eorum auctoritas est, vt in Polonia, vt poenas arbitrarias decernant.

Judae filii Babae facinus.

§. 98. Tradunt Judaei (*y*) *promouendi* in iudices *licentia se per Romanos* aliquando *interdictos fuisse*, sub poena supplicii & promotoris & promoti, excidiique vrbis, in cuius territorio id sit factum. Abiisse igitur *Judam filium Babbae* in locum, qui territoria vrbium SCHPHARAM (שפרעם) & VSCHAE (אושה) distermineret, ibique viros doctos quinque *R. Meirum*, *R. Judam*, *R. Simeonem*, *R. Josen*, & *R. Eleasarem filium Simeonis*, quibus nonnulli *R. Nehemiam* addunt, iudices creasse. Quo facinore quoniam effecit, ne poenae arbitrariae inter Judaeos cessarent; non sine laudibus illius mentionem faciunt, eumque *promotoris* cognomine ornant.

Promotio academica.

§. 99. Ad *promotionem academicam* accedimus. Hac *iura doctorum* conferuntur illis, qui iis administrandis sunt apti. *Impositionis manuum* (סמיכה) [*z*] huic quoque; *promotori*, *imponentis manum* (סומך); & *promoto*, *manuum impositione inaugurati* (נסמך, סמוך), nomen tribuitur. A priuilegiis promoto concessis repetenda est phraseologia, quod *facultatem accipere* (נקט רשות) [*a*]. Judaeis idem est, quod *promoueri in doctorem*.

Indigni non promouebantur.

§. 100. Non *promouebantur*, nisi *cognitione philosophica instructi*; & qui eruditorum functionibus, quarum praecipuas supra (§. 29.) enarrauimus, pares essent; maxime, vt

[*y*] Sanhedrin, fol. 13, 2. 14, 1.

[*z*] In N. T. χειροτονεῖν, Act. XIV, 23. 2 Cor. VIII, 19. it. ἐπιτιθέναι τὰς χεῖρας, Act. VI, 6. 1 Tim. V, 22. Aliisque in locis.

[*a*] Matth. XXI, 23: Ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς; καὶ τίς σοι ἔδωκε τὴν ἐξουσίαν ταύτην;

vt reſponſa dare poſſent & ius dicere. Num praeuio *ſolenni examine* id ſit factum, dicere nihil attinet. Non enim coniecturis lectori imponere amamus. Hoc dicere poſſumus, *promotori promouendi profectus cognitos* eſſe debuiſſe.

Promotionis academicae ritus.

§. 101. Num ipſa in doctores promotio cum aliquibus facta fuerit *ſolennitatibus*, & hae quaenam fuerint, an nudis verbis, non magis cognitum habemus.

Promotor quis eſſe debeat.

§. 102. *Promotor quilibet doctor*, qui *promotus* eſſet ipſe, eſſe poterat. Id quod nemo negat. Attamen propter reuerentiam praeceptori debitam, ita praeceperunt: [*b*] אין תלמיד נסמך יכול לסמוך אחרים במקום רבו. *Nullus diſcipulus promotus illo in loco, vbi praeceptor ſuus eſt praeſens, promouere poteſt alios.* Idem promotor, qui ſolus illi dignitatem contulerat, licet praeceptor non fuiſſet, a promoto poſcere potuit (*c*). Si quis vero non a ſuo praeceptore, ſed ab alio doctore, auctoritate plurium, eſſet promotus; neque hoc neque reuerentiam praeceptoris illi debuit (*d*). *Male* tamen *ſibi conſulebat* candidatus, *qui ab alio, quam praeceptore, promoueri* mallet. *Functionibus* enim praecipuis *promotorum, inuito praeceptore, fungi nemini licuit.* Sane *reſponſa dare* (להורות) nemo debuit, donec vel *mortuus eſſet praeceptor*, cui praecipuam operam dederat (רבו מובהק), vel *facultatem ſibi conceſſiſſet* (עד שיתן לו רשות), ſi vel in extremis mundi plagis diſcipulus haereret (*e*). Quin ſunt, qui contendunt, ſi *plures* habuerit *praeceptores*, quorum genuinus fuerit diſcipulus; *ab* illis *omnibus licentiam* fuiſſe *impetrandam*

[*b*] Vid. Toſephoth ad Sanhedrin fol. 5, 1.
[*c*] Lebhuſch, Hilchoth Kbhod rabbo, cap. 242. §. 6.
[*d*] Ibid.
[*e*] Sanhedr. fol. 5, 2.

dam (מכל רבותיו המובהקים) (*f*). Alii tamen ſtatuunt, *per alium* quoque doctorem (רב אחר) *promoto* licuiſſe *reſponſa dare* (להורות); dummodo *tribus paraſangis*, i. e. duodecim paſſuum millibus, a praeceptore abeſſet; non vero intra illas (*g*).

Priuilegia promotorum in doctores.

§. 103. *Jurium*, quae vi promotionis academicae doctoribus concederentur, primum erat id, 1.) vt *de licitis & illicitis reſpondere* (להורות) (*h*) liceret. Id quod nemo, niſi rite promotus (סמוך) eſſet, ſibi ſumere debebat. 2.) *In pecuniaria causa* [ריני ממונות] ſententiam ferendo, ſi per errorem ſiniſtre pronunciaſſent [טעה], *parti laeſae* damnum refundere non tenebantur. 3.) De primogenitis *pecorum* vitio laborantibus cognoſcebant; ſique vitium perduraturum (מום קבוע) eſſe intelligerent, comeſtionem eorum permittebant; ſi tranſiturum [מום עובר], ea interdicebant. 4.) Erant *praeterea multa*; quae hic recenſere longum foret. *Penes promotorem* vero poſitum erat, *num* candidato ſuo *omnia* & ſingula *doctorum iura conferre* vellet; an nonnulla excipere. Vt fidem beneuolo lectori faciamus, en! Gemarae teſtimonium [*i*]: „ Ita dixerunt doctores noſtri: „ Cauſae pecuniariae per tres decidantur. Si quis ve„ro multorum doctor ſit, ſolus eas dirimere poſſit. „ Quippe dixit Rau Nachman: (*Vir*,) qualis ego ſum, „ de rebus pecuniariis cognoſcere poteſt ſolus. Simili„ ter Rabbi Chiia dixit: (*Vir*,) qualis ego ſum, de re„bus

[*f*] Lebhuſch, Hilchhoth Kbhod rabbo, cap. 242. §. 4.
[*g*] Ibid.
[*h*] Hanc facultatem *Petro* vel dedit vel ſe daturum promiſit Chriſtus, Matth. XVI, 19. Vſi ea ſunt *apoſtoli* in Concilio Hieroſolymitano, Act. XV, 6-29. *Paulus*, 1 Cor. VII, 12. 25.
[*i*] Sanhedr. fol. 5, 1. 2.

„.bus pecuniariis cognoſcere poteſt ſolus. Interroga-
„tum fuit: (*Quid ſibi volunt verba:*) Vir, qualis ego ſum?
„(*Hiccine eorum eſt ſenſus:*) Qui cognitione philoſophi-
„ca & iudicii acumine ſum inſtructus, & rite promotus:
„Illius autem, qui rite promotus non eſt, ſententia
„nulla eſt? An fortaſſe (*hic verborum eſt ſenſus,*) licet ri-
„te promotus non ſit, tamen ſententiam eius, (*quam*
„*pronunciauit,*) validam eſſe? Arrige aures! Mar Sutra
„filius Rav Nachmanis, (*qui promotus non fuit,*) ſenten-
„tiam (*in cauſa pecunaria*) tulerat, quae iuſta non eſſet.
„Acceſſit igitur ad Rav Joſephum, (*eumque conſuluit, quid*
„*ſit faciendum.* (*Hic*) illi dixit: Si te arbitrum conſtitue-
„rint ipſae partes, vt ſoluas (*parti laeſae*) opus non eſt.
„fin (*id factum*) non (*ſit;*) abi & ſolue. Diſcito ex eo,
„licer quis promotus non ſit ſententiam tamen ab eo
„latam validam eſſe. Diſcito id, (*inquam,*) ex eo. Di-
„xit Rav. ſi quis iudicem agere velit, &, vbi errauerit,
„damnum non compenſare; promoueatur per aechma-
„lotarchae confeſſum. Ita quoque Samuel dixit, per
„aechmalotarchae confeſſum promouendum eſſe. In
„confeſſo eſt, qui hic (*i. e. in Babylonia ſit promotus,*)
„illum hic (*ea praerogatiua gaudere:*) Et qui ibi (*i. e.*
„*in Palaeſtina ſit promotus,*) illum ibi illa praerogatiua gau-
„dere. Neque minus, qui hic (*ſit promotus,*) illum
„ibi iſta praerogatiua gaudere. Hic, (*in Babylonia*) e-
„nim ſceptrum eſt; ibi, (*in Palaeſtina,*) vero non niſi
„legislator. Quippe ita in Exoticis habetur: (*Effatum*
„*Gen. XLIX, 10. ita eſt interpretandum:*) *Non recedet ſce-*
„*ptrum a Juda;* hi ſunt aechmalotarchae in Babylonia,
„qui ſceptro Iſraëlitis imperant. *Nec legislator e medio*
„*eius;* hi ſunt poſteri Hillelis, qui legem publice do-
„cent. Jam vero qui ibi (*in Palaeſtina, ſit promotus,*)

„num.

„num is hic, (*in Babylonia, illa praerogatiua gaudet?*)
„Arrige aures! Rabbah filius Channae ſententiam tu-
„lerat, & errauerat. Acceſſit ad Rabbi Chiiam, (*eum-*
„*que quid factu opus eſſet, conſuluit.*) Hic illi reſpondit:
„Si te arbitrum (*ipſae partes*) petierint, vt damnum
„reſtituas opus non eſt. Sin non; abi & (*damnum*)
„compenſa. Rabbah autem filius Channae (*in Palae-*
„*ſtina*) fuerat promotus. Diſce igitur ex eo, qui ibi
„ſit promotus; illum praerogatiua iſta hic non gaude-
„re. Diſce hoc, (*inquam,*) ex eo. QVAER. Hoccine
„vero illum non iuuet, (*in Babylonia, ſi in Palaeſtina ſit*
„*promotus?*) Sane Rabbah filius Rav Hunae, cum viri
„conſeſſus aechmalotarchae cum illo contenderent, illis
„dixit: A vobis ego non ſum promotus; ſed promo-
„tus ſum ab Abba Mare, & Abba Mare a Rav, & Rav
„a Rabbi Chiia, & Rabbi Chiia a Rabbi (*Juda ſancto.*)
„RESP. Verba illis dedit. *Q.* Cum vero (*promotionis in*
„*Palaeſtina factae*) nullus ſit fructus, cur Rabbah filius
„Channae (*ibi*) promoueri voluit? *R.* Propter vrbes
„limitaneas. *Q.* Quaenam vero promotorum iura
„ſunt? *R.* Cum Rabbah filius Channae in Babyloniam
„deſcendere vellet; dixit Rabbi Chiia Rabbi (*Judae*
„*ſancto*): Meus ex fratre nepos in Babyloniam abit.
„Detne reſponſa? (*Tum ille*) Det reſponſa. (*Hic*) Ju-
„dicisne munere fungatur? (*ille*) Judicis munere fun-
„gatur. (*Hic*) Detne conceſſionem comedendi primo-
„genita, (*quae vitium contraxerunt?*) (*Ille*) Det conceſ-
„ſionem comedendi primogenita. Cum Rav in Ba-
„byloniam deſcendere vellet, dixit Rabbi Chiia Rabbi
„(*Judae ſancto*): Meus ex ſorore nepos in Babyloniam
„abit. Detne reſponſa? (*Tum ille*) Det. (*Hic*) Judi-
„cisne munere fungatur? [*Ille*] Fungatur. [*Hic*] Li-

„centiamne primogenita comedendi det? [*Ille*] Ne „det hanc licentiam. cet. „ Suſpicantur, poſteriori huic conceſſam non fuiſſe praerogatiuam circa primogenita, quam priori, quia tantam habuerit vitiorum pecoris cognitionem, quantam vix alius quisquam. Offendi igitur homines potuiſſe, ſi primogenitum *vitio perduraturo* (מום קבוע) reuera laborans comedere permiſiſſet, quod ceteri non niſi *tranſituro vitio* (מום עובר) laborare crederent. Quod *Buxtorffius* [*k*] ſcribit, non niſi *ad certum tempus promotos* fuiſſe nonnullos, vero ſimile non eſt, & autoritate caret. *Certis limitibus iurium* ipſis conceſſorum *exercitium* omnino fuit *circumſcriptum*, vt illis vbique locorum, & praeſentibus vel praeceptoribus vel doctioribus vti non deberent; ceu ſuo loco videbimus. Hoc vero non eſt ad certum tantummodo tempus aliquem promouere. Huius farinae eſt illud

[*l*]. על תנאי מאי חש"ל רבי יוחנן לרב שמן הרי אתה ברשותנו עד שתבא אצלינו *Num* [quis] *ſub certa conditione* [promoueri poteſt ?] *Arrige aures! Dixit Rabbi Jochanan RavSchammani : Ecce! tu promotionis noſtrae virtute* [doctoris iura exercebis,] *donec ad nos acceſſeris.* A quibus vbi iterum receſſiſſet, ea denuo exercere licebat; nec eum in finem noua promotione indigebat. Non maiorem fidem mereri videtur [*m*], quod is, qui per promotorem *Rabbi* (רבי) fuerit proclamatus, *Rabbi* (רבי), i. e. *Doctor*, nondum ſtatim fuerit appellandus, ſed *Chabber* (חבר), i. e. *Sodalis*, quamdiu *praeceptor viueret*. Quidni enim ab

[*k*] Lexic: Talmudl. p. 1499.

[*l*] Sanhedr. fol. 5, 2.

[*m*] Buxt. Lex. Talmud. p. 1499.

ab aliis honoris titulo appellaretur, quem illi ipſe daret promotor?

§. 104. Promotio haec academica *vbique terrarum* fieri poteſt. Hinc doctores *Babylonici* candidatos ſuos aeque *promouebant* atque Palaeſtini ſuos. Palaeſtini promotos ſuos titulo *Rabbi* (רבי); Babylonici ſuos titulo Rabh (רב), ornabant. Cetera ex loco Gemarico ſupra (§. 103.) latinitate donato apparet, quod Babylonici promotos ſuos promotis in Palaeſtina praetulerint. Priſcis igitur his Judaeis iam fuerunt *magiſtri noſtri*. Promotio in Babylonia.

§. 105. Sunt *in hunc diem* inter Judaeos *promoti doctores*; qui praeſertim in Polonia non ſine omni creantur ſolennitate. Illi, qui facultate dandi reſponſa pollent, MORENV (מורינו) i. e. *Doctor noſter* ſalutantur. Inferior eorum eſt gradus, qui RABBI (רבי), i. e. *Magiſter meus*, cognominantur. Qui prorſus illiteratus non ſit; illi titulus CHABHER (חבר), i. e. *Sodalis* ſaltem tribuitur. Quin & hi titulum Rabbi (רבי) ſibi ſumere non erubeſcunt. Promotio Judaeorum hodierna.

CAPVT VIII.

DE OFFICIIS PRAECEPTORVM ET DISCIPVLORVM.

§. 106. Lege diuina de *honore & reuerentia parentibus debita* iniunctum eſt (אֶת אָבִיו וְאֶת אִמּוֹ תִּירָאוּ וְאֶת שַׁבְּתֹתַי תִּשְׁמֹרוּ) Argumentantur Judaei, per argumentum a minori ad maius (בק"ו) ad *honorem & reuerentiam praeceptori debitam* Honor & reuerentia praeceptori debetur.

(כיבוד רבו ויראתו);& a quo in codice ſacro,& a quo in Miſchna & Gemara ſit eruditus. Cum enim *patri* quidem *huius ſeculi vitam* (חיי העולם הזה), *praeceptori* autem *futuri ſeculi vitam* [חיי העולם הבא], acceptam habere debeamus; hunc illo praeſtantiorem pronunciant. (*n*) Dicuntque: אין לך חיוב כבוד לחיוב כבוד רבו וחיוב מורא כמורא רבו „Nulla honoris obligatio obligatione honoris praeceptori debiti „grauior eſt, nullaque reuerentiae obligatio obligatione „reuerentiae praeceptori debitae grauior eſt.„ Quin cum reuerentia ipſi ſummo numini debita praeceptori debitam reuerentiam comparant Talmudici: מורא רבך כמורא שמים ואפילו אינו רבך גמור דכתיב את יי אלקיך תירא לרבות ת"ח הרי שהשוה מורא ת"ח למורא שמים „Reuerentia praeceptoris ſit inſtar reuerentiae ipſius ſummi numinis; (*o*) licet „is praeceptor non ſit, cui potiorem eruditionis tuae „partem debeas. Scriptum enim eſt, (*Deut. VI, 13:*) „Dominum Deum tuum reuerenter habetó. Ad in„cludendum virum doctum. [*p*] En! reuerentiam viri „docti cum ipſius ſummi numinis reuerentia compara„ri.„ At comparationem nullam videas, beneuole lector, in his verbis. Latere creditur in particula את; quae ſaluo ſenſu abeſſe poterat. Ita vero *a vocabulo abundante* [מרבוי הכתוב] argumentantur. Hinc ita inferre pergunt: כל תלמיד שמזלזל ברבר מכל כבוד רבו גורם לשכינה שתסתלק מישראל „Qui diſcipulus honoris praeceptori exhibendi negli„gentior fit, efficit, vt ſummum numen ab Iſraelitis re„cedat.„ (*q*) Diſtinguunt quidem inter honorem praeceptori, cui omnia tua debeas, & cuius ſcholas non multum frequentaueris, exhibendum. Attamen honora-

[*n*] Baua mezia, fol. 33, 2.
[*o*] Pirke Abhoth, cap. 4. fol. 5, 3.
[*p*] Baua Kama, fol. 41, 2.
[*q*] Brachoth, fol. 27, 2.

norari quoque iubetur, cui vel vnicum doctrinae momentum, si vel leuius id sit, (רבר אחר בין קשן בין גרול), acceptum habeat; (*r*) Neque minus discrimen est inter honorem a *genuino discipulo* (תלמיד גמור) & *discipulo collega* (תלמיד חבר) praeceptori deferendum. De honore promotoribus a promotis debito supra (§. 102.), diximus. Cessset externus obseruantiae cultus, vbi in periculo versentur. (במקום סכנה אין צריך לכבד כלל). [*s*]

§. 107. De *honoris* praeceptori debiti *natura* hunc in modum praecipiunt: [*t*] כל החולק על רבו כחולק על השכינה Honor in quo consistat,

וכל העושה מריבה עם רבו כעושה מריבה עם השכינה וכל המתרעם על רבו כאלו מתרעם על השכינה זכל המהדהר אחר רבו כמהדהר אחר השכינה

„Quicunque a praeceptore dissentit, idem agit, acsi a „summo numine dissentiret. Quicunque praeceptori „contradicit, idem agit, ac si summo numini contradi„ceret. Quicunque praeceptori se opponit, idem agit, „ac si summo numini se opponeret. Quicunque sini„stre de praeceptote cogitat, idem agit, ac si de summo „numine sinistre cogitaret.„

§. 108. Noli autem suspicari, *coecam fidem* praeceptori esse adhibendam. Quodsi enim praeceptor aliquid exponat (פסק), *praegnantesque dissensus rationes* discipulus habeat [תוכחות וראיות ברורות שהם סותרין את רבו]; *ab illo discedere* omnino *licet*. [*u*] Quin *si contra praeceptum* aliquod *peccaturum* [עובר על דבר תורה] *magistrum* videat discipulus, antequam id faciat, *modeste eum moneat*, interrogando: כך וכך לימדתנו רבינו *Itane vero, o magister, nobis praecepisti* Coeca fides praeceptori ne adhibeatur.

[*r*] Pirke Abboth, cap. 6. fol. 8, 1. [*s*] Brachoth, fol. 46, 2.
[*t*] Sanhedrin, fol. 110, 1.
[*u*] Lebhusch, Hilchoth Kbhod rabbo, cap. 242. §. 3.

cepisti ? (*w*) Sin aliquod *doctorum interdictum* [איסור רבנן] eum *transgressum* videat (*x*), non ante dubium suum, quam ille rem fecerit, proponat.

Quod a quo quis didicit, illi tribuat.

§. 109. *A quo* quis aliquam *doctrinae partem* (שמועה) *accepit*, illi se eam debere *profiteatur*. Hinc discipulus, praesente magistro, expositurus, quod ab illo didicit, praemittat: כך לימדתנו רבינו, *Ita nos, o praeceptor, docuisti.* Expositurus, quae ab alio didicit; *ne id faciat sine facta illius, a quo didicerit, mentione*: ne praesentes, eum a magistro suo id accepisse, suspicentur. [§. 90.]

Nemo doceat, non facta potestate a praeceptore.

§. 110. Nemo *docere aggrediatur*, nisi *promotus*, & *accepta a praeceptore suo potestate* [שלא ברשות רבו] *quamdiu praeceptor in viuis est* (*y*). Neque in loco id faciat, ubi praeceptor praesens non est (במדינה אחרת). Qui id fecerit, in iis est, qui a praeceptore dissentiunt. (חולק על רבו) Quodsi vero discipulus vel *non promotus tribus parasangis a praeceptore* absit, & de *de statuto decisо* (רבר הלכה) *forte fortuna* (ברוך מקרה) interrogetur, *respondere* (להשיב) nihil impedit. Imo si vel *praesente praeceptore*, aliquem vel ex errore vel proaeresi *peccaturum videat*, eum *dehortari* (לפרושי מאיסורא) licet (*z*). Quoniam *praeceptoris reuerentiae detr ahere praestat*; *quam pati, vt nomen diuinum profanetur.* (שבכל מקום שיש חילול השם יתברך אין חולקין כבוד לרב) (*a*)

Discipulus cautus sit in dandis responsis.

§. 111. Nulla fere maioris apud Judaeos momenti res est, quam *de licitis* (היתר) *& vetitis* (איסור) *data responsa* (הוראה). (§. 29.) Hinc *non cuiuslibet est, ea dare* (לישב להזרות). *Non* sane *inepti*, vel *immaturi* (שלא הגיע להוראה).

De

(*w*) De patre extat Kidduschin fol. 32, 1. A patre autem ad praeceptorem infertur.
(*x*) Vid. דרכי משה ad Tur Ioreh Deah, fol. 221, 2.
(*y*) Maimon in Hilchoth Talmud Torah.
(*z*) Erubhin fol. 63. 1. (*a*) Brachoth, fol. 19, 2.

De his, id facere ausis, id dictum esse contendunt: (*b*) *:Multos confossos abortu occidit.* (*c*) Quippe deriuant verbum *interficiendi* ibi obuium ab *abortu* (נפל); hunc verbis sensum tribuentes: תלמיד שלא מלאו ימיו רבים הם חלליו בהוראותיו שלא כהלכה · ואלו התלמידים הקשנים שלא שמשו כל צרכם

„ Per responsa studiosi nondum maturi minus legalia „ multi occiduntur. Sunt hi autem studiosi illi infe- „ rioris conditionis, qui perfectae doctrinae eam, qua „ opus erat, diligentiam non adhibuerunt. „ Quos uti cum *abortu* comparant, ita noxias quoque illas Salomonis *vulpeculas* esse volunt: (*d*) *Vulpeculas minores, quae vineas devastant.* Nimirum illos haeresium & dissensionum infelices esse antesignanos. Quare *durissimae leges* (חומרות) hac de re sunt datae. *Non promotum responsa dare non debere*, nec nisi *a suo praeceptore promotum*, quamdiu ille in viuis sit, iam supra (§. 102.) diximus. At vero *nec ab ipso praeceptore promoto vbique locorum* id facere licet. Quippe ita Talmudici statuerunt: (*e*)

אסור לו לאדם להורות בפני רבו לעולם וכל המורה לפניו חייב מיתה

„ Interdictum esto vnicuique, praesente magistro suo, „ responsa de licito & vetito vnquam dare. Quicunque „ vero, illo praesente, responsum dederit, vindictae „ diuinae obnoxius esto. „ Filiosque Aharonis, *Nadab* & *Abihu*, nulla alia de causa, quam quod *in Mosis praesentia rem nouam decidere* ausi fuerint, igne coelitus delapso, periisse tradunt. Quis vero *in praeceptoris praesentia* responsum dare dicitur? Qui id facit *intra tres parasangas* (תוך שלש פרסאות); i. e. nisi ultra duodecim pas-

(*b*) Prou. VII, 26.
(*c*) Abhodah sarah fol. 19, 2.
(*d*) Cant. II, 15.
(*e*) Erubhin, fol. 63, 1.

paſſuum millia a loco abſit, in quo praeceptor eius commoratur. *Diſtantiae* huius *ratio caſtrorum Iſraëliticorum* in deſerto *extenſio* eſt (*f*). Haec enim trium parasangarum & longitudinem & latitudinem habuiſſe creduntur. Si quis Iſraëlitarum autem cauſam haberet; is Moſen, omnium doctorem, conſultum abiiſſe dicitur. Hinc diſcipulus, reſponſa dandi facultatem a praeceptore nactus, extra tres parasangas quidem ea dare poteſt; intra illas vero ea ne det, quamdiu praeceptor viuat. Si vel *ipſi ſui domeſtici* (בני ביתו *reſponſum petierint*. Hic vero in partes abeunt doctores (*g*). Alii negant, de alio, quam *praeceptore*, *cui potiorem eruditionis partem* diſcipulus *debeat* (רבו מובהק), intelligendum id eſſe: *diſcipulum* enim *collegam* (תלמיד חבר), quominus *intra tres* quoque *parasangas* reſponſa det, impediri non poſſe. Alii autem de *quolibet praeceptore* (רב ממש) id accipi debere affirmant. Quin vel *extra duodecim milliaria* diſcipulum *reſpondere vetant ei, qui* iam antea *praeceptorem ſuum conſulendi conſilium inierit*; vel ſi praeceptor *eruditionis plane eximiae & venerabilis vir* ſit (מופלג בחכמה ובזקנה). Rurſus alii ita praecipiunt: רתלמיד גמור תוך י"ב מיל חייב מיתה. אם הוא מורה אפילו במקרה וחוץ לי"ב מ"יל פטור אבל אסור אפי' במקרה

„ Qui genuinus alicuius praeceptoris diſcipulus ſit, „ hunc, ſi intra duodecim milliaria, vel in caſu forte „ fortuna obuio, reſponſum det, ſupplicii reum eſſe. „ Sin extra duodecim millia id fecerit; poenae quidem „ obnoxium non eſſe, feciſſe tamen, quod fieri non „ debebat, ſi vel in caſu forte fortuna obuio id fece- „ rit. „ Ita tamen hoc mitigant, vt diſcipulum in loco

(*f*) Saokedrin, fol. 5, 2.
(*g*) Vid. Lebhuſch, Hilch. Kbhod Rabbo, cap. 242. §. 4.

co extra duodecim milliaria ſito, quo praeceptor ſuus ſtatis anni temporibus accedere non ſoleat, licet caſu nonnunquam illuc veniat, a peccato quoque abſoluant, ſi in caſu forte fortuna obuio reſponſum dederit. Ex quo diſcitur, *diſtingui* quoque inter eum, qui id *ex profeſſo* agat, vt *reſponſa det* (קובע עצמו להוראה לישב ולהורות) & eum, qui id *non niſi offerente ſe occaſione* faciat, (מורה מקרה בדרך). Hi de *non genuino diſcipulo* (תלמיד חבר) hunc in modum ſtatuunt: תלמיד חבר תוך י"ב מיל פטור אבל אסור וחוץ לי"ב מיל מותר כשנשל רשות „Qui genuinus diſcipulus „ non ſit, ſi intra duodecim millia *(reſponſum dederit)*; „ non quidem punitur, attamen peccat. Sin extra „ duodecim milliaria, non peccat, dummodo *(re-* „ *ſpondendi)* facultas ipſi fuerit data.„ Ineptus & non promotus (שלא הגיע להוראה) neque a praeceptoris obitu reſpondendi ſibi licentiam ſumat.

§. 112. *Nemo praeceptorem* ſuum, neque viuum, neque mortuum, *ſine honoris praefamine*, nominet, ſed dicat: Doctor meus & praeceptor meus N. N. (מורי ורבי פלוני). Tradunt, *Gehaſi* punitum fuiſſe, quod, praecepti huius negligens, dixerit: (*b*) *Haec eſt femina & hic eſt filius eius, quem in vitam reuocauit Eliſah* (*i*). Si quis *patre* ſuo vtatur *praeceptore praecipuo* (רבו מובהק), praeceptoris nomen praeferendo, dicat: *Praeceptor meus* (רבי). Sin praecipuo praeceptore eo non vtatur, dicat *Pater* (אבא). Praeceptor ſuo nomine ne nominetur.

§. 113. Sunt, qui, prae nimia reuerentia (מחמת רוב מורא), *praeceptorem* a diſcipulo *ſalutari* debere *negant* (*k*). Et huc *trahunt* [אסמכוה] illud [*l*]: *Quando me pueri videbant, occultabant ſe.* Eorum autem ſententia praefertur, qui Num ſalutandus ſit praeceptor.

prae-

(*b*) 2. Reg. VIII, 5.
(*i*) Sanhedr. fol. 100, 1.
(*k*) Brachoth, fol. 27, 2.
(*l*) Iob. XXIX, 8.

praecipiunt, ita praeceptorem ſalutari, eique ſalutanti a diſcipulo reſponderi debere, vt *in terram inclinatus* [שוחה לפניו] [*m*] ſumma cum veneratione dicat: *Pax tibi ſit, mi doctor & mi praeceptor* (שלום עליך רבי ומורי) [*n*].

Diſcipulus abiturus veniam petat a praeceptore.

§. 114. *Iter ſuſcepturus* diſcipulus, *veniam* a praeceptore *petat.* (נוטל רשות מרבו). Qua impetrata, ſi per noctem adhuc in vrbe eommoretur; ne ante abeat, quam eam denuo petierit; niſi ſe per noctem ibi adhuc commorari velle, antea dixerit. [*o*]

Diſcipulus cum praeceptore in celebritate.

§. 115. *Ne ſedeat* diſcipulus, *praeſente magiſtro*; donec ille dicat: *Sede* [שב]. [*p*] Et tum eadem cum veneratione, qua rege praeſente, ſedeat. *Neque ſurgat*, donec ille dixerit: *Surge* [עמוד]! vel ſurgendi veniam ab eo impetrauerit. *Ad capiendum cibum* [סעודה] *accubiturus*, primo loco a magiſtro, & deinceps a cereris conuiuis *veniam petat* [נוטל רשות]. Summo ſtudio caueat, *ne* vel ſtando vel ſedendo *magiſtri locum occupet.* (לא עומד במקומו ולא יושב במקמו) [*q*] *Ne* inter diſputantes praeceptorem & ceteros *arbitrum agere* conetur. (ולא יכריע דבריו בפניו) [*r*]. Multo minus illi *contradicat* ipſe [לא יסתור דבריו]. *Mucum* (כיחו) praeſente eo, *ne exſpuat.* Saliuam (רוק בעלמא) autem emittere licet. Abiens *ne tergum* magiſtro *obuertat*; ſed vultu ei obuerſo, greſſu retrogrado abeat. (*s*)

In itinere.

§. 116. Diſcipulus magiſtro *ne ad latus* incedat, *neque ante vel poſt eum*; ſed ita ad latus, vt magiſter paululum praeeat (*t*). *Si* vero *quatuor cubitorum* interpoſitum *interuallum* ſit, magiſtri *veſtigia premere licet.* Si ut comites (בחבור אחת) tres ſimul iter faciant; (*u*) *magiſter medium*

(*m*) Graecis eſt προσκυνεῖν.
(*n*) Baua kama, fol. 73, 2.
(*o*) Moëd katan, fol. 9, 1.
(*p*) Kidduſchin, fol. 33. 1. 2.
(*q*) Kidduſchin, fol. 31, 2.
[*r*] Ibid.
[*s*] Ioma, fol. 53, 1.
[*t*] Ioma, fol. 37, 1.
[*u*] Ibid.

dium occupet *locum*; dignior illius dextram, & tertius ſiniſtram. Sin in eodem itinere comites non ſint; honoris exhibitio in itinere ceſſat (אין מכבדין בדרכים) [*w*].

§. 117. Diſcipulus *preces fundens ne prope magiſtrum* ſtet, nec ante nec poſt eum, nec illi ad latus; ſed *quatuor* ad minimum *cubitis ab eo remotus* (*x*). Si magiſter ad praelegendam legem (לקרות בתורת) euocatus fuerit; vel ſi magiſtro in ſuperiori domus contignatione ſtante, diſcipulus ſit in inferiori: diſcipulo ſedere licet, ſtante magiſtro. Cuius rei ratio eſt, quod *in diuerſi iuris loco* (ברשות אחר) magiſter eſt. In Synagoga.

§. 118. Vbi moris eſt, vt *in balneo* (מרחץ) *nudis genitalibus* incedant (הולכין ערומי ערוה), id *ne ingrediatur diſcipulus, lauante magiſtro*; niſi is ope ipſius indigeat (*y*). Quod ſi tamen prior adfuerit; veniente magiſtro egredi non tenetur. Vbi vero *ſuccinctoriis* (מכנסים) pudenda teguntur; vel ſequi eo magiſtrum nihil impedit. Ibi enim cum patre quoque, ſocero, vitrico; & ſororis marito balneum ingredi licet. Quod enim in Gemara id ſit interdictum, non alia de cauſa eſt factum, quam quod illic terrarum ſubligaculis non vterentur. In balneo.

§. 119. Moris erat apud Judaeos, vt *viris ſpectatis adſurgeretur*. Id vero non vno fiebat modo. Vel enim *toto corpore* aſſurgebatur [מלא קומתו]; vel honoris cauſa *paululum tantummodo* ſurgebant [בקצת קימה של הידור]. Vel aſſurgebatur aduenienti *quam primum conſpici poſſet* [מלא עיניו]; vel nonniſi *ad quatuor cubitos* [לתוך ד' אמות] vbi acceſſiſſet. *Aſſidebatur*, vel tum demum *vbi conſpici non amplius poſſet* (עד שיתכסה מעיניו); vel *vbi locum ſuum* Diuerſi aſſurgendi modi.

(*w*) Brachoth, fol. 46, 2.
(*x*) Brachoth, fol. 27, 1. 2.
(*y*) Pſachim, fol, 51, 1.

occupaſſet [עד שישב]; vel vbi ad ad quatuor cubitos ſe elongaſſet [עד שיעבור מלפניו ד אמות]; vel *quam primum tranſiiſſet* [עד שיעבור כלפניו].

Diſcipulus praeceptori aſſurgat.

§. 120. *Si diſcipulus praeceptorem, cui potiorem eruditionis ſuae partem acceptam habeat* [רבו מובהק] accedere videat, ſiue peditem ſiue equo vectum; *adſurgat* illi, *quam primum* a ſe *conſpici poſſit* [משיראנו מרחוק מלא עניו], *neque aſſideat, quamdiu conſpici poſſit* [עד שיתכסה מיעיניו], vel donec ipſe *locum ſuum occupauerit* [עד שישב]. Quia de Moſe relatum le-
„gimus: [א] Oculisque proſecuti ſunt Moſen, donec ad
„tentorium peruenisſet. „ Ceteris *autem* praeceptoribus [רבו שאינו מובהק] adſurgatur, vbi *ad quatuor cubitos* acceſſerint; & vbi praeterierint, aſſideatur (*a*).

Operas ſeruiles ei praeſtet.

§. 121. *Operas ſeruiles* a ſeruo Iſraëlita requirere non debebat herus. Attamen ita praecipiunt [*b*]: כל המלאכות שהעבד עושה לרבו עושה לרבו תלמיד. *Quascunque operas hero ſeruus* (Cananaeus), *praeceptori praeſtet diſcipulus.* Si quo tamen in loco ſint, vbi quis ſit, homines ignorent, & phylacteria (תפלין) in capite non geſtet; calceos ei neque induat neque exuat (אינו נועל לו מנעלים ולא חולצו) Ne ſe ſeruum Cananaeum eſſe ſuſpicentur. *Ne* igitur praeſente magiſtro, *phylacteria exuat* (*c*). Sunt qui dicunt, diſcipulum non niſi *bis* quotidie *ſiſtere ſe praeceptori* (לעמוד לפני רבו) teneri; nempe mane & veſperi (שחרית וערבית); niſi forte adſint, qui id iſto die factum iam

(א) Exod. XXXIII, 8.
(*a*) Kidduſchin, fol. 33, 1.
(*b*) Ktubhoth, fol. 96, 1. Matth. III, 11: Οὐ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι. Dicit his verbis Johannes, *ſe dignum non eſſe, qui Chriſti ſit diſcipulus.*
(*c*) Id quod ex eo concluditur, quod praeſente rege phylacteria deponere nefas erat, Sanhedrin, fol. 101, 2.

iam esse ignorent. Cuius sententiae allegatur ratio, quod *iugum regni coelorum* non nisi *mane & vesperi susci-*

piatur [שאין מקבלין עול מלכותו יתּ בקּש רק שחרית וערבית]. Magistri autem reuerentiam ipsius summi numinis reuerentia maiorem esse non debere. Alii autem argumentum inuertentes dicunt, recte ab hac ad illam inferri. Si vero summum numen oculis conspicere datum foret, perpetuam illi a singulis reuerentiam exhibitum iri. Idem igitur de magistro valere debere [*d*].

§. 122. Si *praeceptor pati nolit*, vt *discipulus sibi seruiat*, perinde esse dicunt, ac si *eum a probitate & reuerentia summi numinis retrahat* [*e*]. (כל המונע תלמידו מלשמשו מונע ממנו חסד ופורק ממנו יראת שמים) Interim tamen penes praeceptorem est positum, vt discipulorum vel vni vel pluribus, vel omnibus, *externum obseruantiae cultum*, vel ex parte vel omnem, *remittat* (מחל) (*f*). Licet vero hoc faciat magister, *discipulus* tamen *reuerentiae studiosissimus* maneat. Ita quoque se gerat, vt quilibet videat, se externi cultus, nisi magistri interdictum obstaret, obseruantissimum futurum. Exempli gratia, si ab assurgendo (הקימה) eum liberauerit magister; paululum tamen corpus inclinet (לנוע מעט), quasi adsurgere vellet. Tantum abest, vt vilescere illi debeat (אסור לבזותו).

Praeceptor discipulum ab honoris cultu sibi debito liberare potest.

§. 123. Praecipiunt vero etiam, vt *praeceptor discipulum* vicissim *bene habeat*, humanumque se illi praebeat eumque (*g*) *amet*, (לכבד תלמידו ולקרב אליו). Quippe di-

Praeceptor discipulum honoret.

(*d*) Kidduschin, fol. 33, 2. (*e*) Ktubhoth, fol. 96, 1.
(*f*) Kidduschin, fol. 32, 1. 2.
(*g*) Joh. XIII, 1: Ἀγαπήσας τοὺς ἰδίους τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς.

dicunt (*h*): יהי כבוד תלמידך חביב עליך כשלך, *discipulorum honor aeque tibi, atque tui ipsius, curae cordique sit.* Licet assurgere illi non debeat; incuruatione tamen quali quali eum honoret (יעשה לו קצת הידור). Cuius rei ratio affertur, quod discipulorum interrogationibus doctior euadat (§. 83.).

Discipulo honor ne exhibeatur praesente magistro.

§. 124. *Discipulo*, praesente praeceptore, *honorem exhibere vetant* (אין חולקין כבוד לתלמיד בפני רבו); nisi id quoque facere ipse praeceptor consueuerit (*i*). Quin discipuli discipulum (תלמידו של תלמיד) eiusque filium (בנו של תלמיד) id facere nolunt, praesente illo, quem hi communem cum praeceptore vel patre habeant praeceptorem.

Discipuli praeceptorem in asylum sequantur, & vice versa.

§. 125. Si *praeceptor*, propter homicidium non dolosum, *in asylo exulare* cogatur; genuini eius *discipuli* illum eo *comitentur*. Neque minus *cum genuino discipulo* exule illuc abeat *praeceptor*. Ne in alterutro casu discipulus doctrinae iacturam faciat [*k*].

Discipulus eadem cum praeceptore vrbe habitare debeat.

§. 126. Si quis discipulus eos fecerit profectus, vt doctoris opera non amplius indigeat, sed suo ipsius marte legis studio incumbere possit, *ne eandem vrbem*, quam praeceptor incolit, *sedem sibi eligat*; ne fortasse sibi sumat, quae, praesente praeceptore, sumere non debebat. Quodsi vero tanta eius probitas sit, vt circumspectioni suae hac in re satis fidere possit; in eadem vrbe potius maneat: cum nemo facile ad eum eruditionis gradum perueniat, quin piis monitis calcaribusque ad virtutis studium, quae pius praeceptor nunquam non addet, adhuc indigeat [*l*].

§. 127.

(*b*) Pirke Abhoth, cap. 4. fol. 5, 3.
(*i*) Babha bathra, fol. 119, 1.
(*k*) Maccoth, fol. 10, 1. (*l*) Brachoth, fol. 8, 1.

§. 127. Rebus humanis ereptum *praeceptorem non ſecus atque patrem lugeat* diſcipulus; a die mortis, vel quam primum triſtem illum acceperit nuntium. Hinc (1) omnes ſuas *veſtes laceret*, vt pectus denudetur. (קורע עליו כל בגדיו עד שמגלה לבו) Prouocant ad exempla *Dauidis propter Saulem* & *Eliſae propter Eliam* veſtes ſuas lacerantium. Quippe legitur de illo: (*m*) „Tum prehendit Dauid veſtes ſuas, easque leccerauit. „ De hoc: (*n*) „Tum prehendit veſtes ſuas, dilacerauitque eas in duas lacinias.„ Ex vocabulo *prehendendi* vtrobique obuio effici exiſtimant nonnulli, opus non eſſe, vt *palmo vno* (שפח) maior fiſſura ſit: cum plus manu ab illis prehendi nequierit. *Laceratas* has *veſtes* deinceps *conſui nunquam debere* (שקורעים ועומדים לשונים לעולם) ex vocabulis ſuperfluis, *in duas lacinias*, euincunt. Cum enim per ſe conſtet, quod laceretur, in pauciores quam duas lacinias lacerari nequire; verba haec eo conſilio addita eſſe exiſtimant, vt appareret, Eliſam veſtes ſuas propter Eliam laceratas nunquam redintegraſſe. (*o*) (2) *Diſcalceatus eat* (בחליצת המנעל) & ſi quae praeterea luctus ſpecies ſint [וכל ריני אבילות]. (3) Faciat hoc, *vbicunque ſit terrarum* (אפי' בשמועה רחיקה). Sin *praeceptoris funeri praeſens* ſit (שרבו מת ומוטל לפניו); carnem ne comedat & vinum ne bibat, vt in proximorum cognatorum funere. (4) Quotiescunque, duodecim primis a magiſtri obitu menſibus, illius mentionem faciat, vt de patre, addat: הריני כפרת משכבו, „O! quam vellem, „vt mihi pro illo mors obeunda fuiſſet! (*p*) R. Akiba R. Elie-

Lugeat praeceptorem diſcipulus.

(*m*) 2. Sam. 1, 11.
(*n*) 2. Reg. 11, 12.
(*o*) Moëd Katan, fol. 26, 1.
(*p*) Hoc de patre praecipitur, Kidduſchin fol. 31, 2. A patre ad praeceptorem infertur.

Eliesaris funeri obuius factus, exclamauit: „Mi pater, „mi pater! O! currus Israëlis & equites eius! Multi mi„hi nummi sunt. Iam vero nemo est nummularius, qui „eos permutet.„ (q)

Pugna officiorum in praeceptorem & patrem.

§. 128. Et pater colendus est, & vel magis praeceptor. (§. 106.) Iam si *in patrem & praeceptorem officia* inuicem *pugnent*, vtrum erit praeferendum? Primas sane tenere videatur praeceptor, cui quis potiorem suam doctrinam debeat. (רבו המובהק) At vero causas & circumstantias intuentur, prout rationes illis praeponderare videntur. Aliquot dabimus (r) exempla: (1) Si simul & patrem & praeceptorem sub onere quis videat decumbentes, & auxilio suo indigentes (לסייע בפירוקן); quem prius subleuet (מניח)? Si pater eruditus (ת"ח) non sit, nullum est dubium, quin praeceptori citius sit succurrendum. „Reuerentia enim maior doctrinae debetur, quam pa„rentibus; & de illa pater non minus, quam filius te„netur. (רכבוד תורה עדיף מכבוד אב שהוא ואביו חייבים בכבודה) Sin pater quoque eruditus (ת"ח) sit, licet magistro indoctior; *pater praeeat.* Tum enim, patri succurrendo, *duobus praeceptis*, de reuerentia & patri & doctrinae debita se obedientem praebet. (יש לגבי האב תרתי כבוד אב וכבוד תורה). Diuersique doctrinae gradus tanti momenti non sunt, vt pater filium ab officiis sibi debitis, in re, quae cum corporis afflictione sit coniuncta „ (צערא דגופא), absoluturus credi possit. (2) Iisdem de causis, si pater & praeceptor captiui detineantur: Si illiteratus pater sit, *prius de praeceptore*, & tum demum de patre *redimendo* cogitet. Sin eruditus quoque pater sit, redimat *prius patrem* & dein

(q) Sanhedrin, fol. 68, 1.

(r) Quae vid. Babha mezia, fol. 33, 1. Conf. & Horaioth, fol. 13, 1.

& dein praeceptorem. (3) *Rem deperditam* (אבידה) *praeceptoris prius* illi reſtituere [להשיב] laboret, quam patri ſuam; ſi vel eruditus pater ſit, ſed praeceptore indoctior. Hac enim *in cauſa pecuniaria* pater filio auctor ipſe futurus praeſumatur, vt res praeceptoris ſuis praeferat. Quodſi tamen pater praeceptori in doctrina non cedat (ת"ח ושקול כנגד רבו); de reſtitutione (השבה) *patri* procuranda *primo loco* cogitare debet. Si quid „ipſe diſcipulus „amiſerit, ſuarum rerum curam & patris & praecepto„ris rebus praeferat. (אבידת עצמו קודמת לשל אביו ולשל רבו) Quoniam enim ſcriptum eſt: (3) „Operam date, ne inter „vos pauperes ſint; „maiorem rerum ſuarum, quam alius cuiuslibet, quilibet habere tenetur curam (שלך קודם לשל כל אדם) Par ceterorum in ſe ipſum officiorum ratio eſt.

CAPVT IX.

DE

OFFICIIS ERVDITORVM ET IMPERITORVM.

§. 129. Iam ſupra dictum fuit, viro docto cuiuis, qui ad docendum ſit aptus, incumbere, vt id faciat; (§. 51.) & gratis quidem; (§. 59.) ea, qua decet, cum aſſiduitate; (§. 82.) & vt omnem lapidem moueat, quo vera a falſis & certa ab incertis diſcernat. (§. 83.) Ceteras quoque eruditorum functiones enarrauimus. (§. 29.) Eruditi doceant.

§. 130.

(3) Deut. XV, 4.

Praesulis vrbis nequis inuadat prouinciam.

§. 130. Si qua *in vrbe praesul* publica auctoritate sit constitutus (הוחזק רב קבוע בקהל), vel ipse eam adierit prouinciam (החזיק בעצמו], cui stipendium (פרס) soluant ciues; nihil impedit, quo minus *vir doctus alius* (חכם אחר), qui vir multae doctrinae & venerabilis (גדול וראוי) sit, eandem in vrbem habitatum concedat (לדור שם), *eidemque*, cui ille, *magistratui praesit* (ולהחזיק רבנותו); secundum illud: (*t*) „Deus delectatur probitate eius.„ Lites componat inter litigantes; si sint, qui eas ab illo dirimi malint, quam ab vrbis praesule. In contrahendis sponsaliis & matrimoniis consummandis nemini operam suam deneget. (לעשות קידושין וחופות) Omnia praestet. Tantummodo *responsa dare* (להורות) *ne audeat.* Ea tamen lege illa faciat, ne vrbis praesulem reditibus suis spoliet (אין לו לקפח שכר). Multo minus conetur *prouinciam eius occupare* (לדרוש ולנהוג שררה באתריה), eumque *de statione* sua *deturbare* [להורידו מגדולתו]. Denique *praesulis liberos*, dummodo viri docti [חכמים] sint, *successionis iure priuare ne tentet.* [*u*]

Promoti responsa dent.

§. 131. Officiorum legitime ad hanc rem promoti primum est id, vt, ea petentibus, *de licito & illicito responsa det*; nisi per praeceptoris vel vitam vel praesentiam (§. 102. 111.) & praesulis vrbis, in qua habitet, dignitatem (§. 130.) impediatur. *Ne* igitur *huic se officio subtrahat.* Quippe hunc in modum sui officii admonetur: כל חכם שהגיע להוראה ואינו מורה זה מונע תורה ונתן מכשולות לפני רבים „ Quicunque eruditus ad danda re„ sponsa rite sit promotus, eaque petentibus non det, „ is (*hominibus*) legem subducit, multitudinique offendi„ culum [*w*] ponit; „ i. e. facit, vt multi peccent. Con-

(*t*) Es. XLII, 21.
(*u*) Lebhusch, Hilchoth Talmud Torah, cap. 245. §. 23.
(*w*) In N. T. Σκάνδαλον & σκανδαλίζειν.

Contenduntque, in hunc dictum esse id (*x*): *Et per occludentes oculos omnes interimit.* [*y*] Ita nimirum verba explicant; vocabulo AZVMIM (עצומים) eos, qui oculos occludant [עוצם עיניו] ingeniosa allusione significari posse dicentes. Vt adeo verborum sit sensus: „ Qui, cum „ peccare homines videant, oculos occludunt, & ta„ cent, &, vt rectiora eos edoceant, responsa dare re„ cusant, suorum aequalium sunt homicidae [המתעצמים ומחרישים ומתאפקים מלהורות הורגין את רוען.)

§. 132. Magna tamen hac in re circumspectione opus est: ו] חכם שהוא מופלג בחכמה אפילו אינו רבו רינו כרבו „ Vir „ doctus eruditione prae ceteris eminens ab illis quo„ que, quorum praeceptor non est, vt praeceptor est „ suspiciendus." Illo igitur praesente nemo responsum det. Id quod ausus fuisset, *ab Eli* pontifice *supplicio addictus* & non nisi matris precibus liberatus creditur *Samuel*; licet Eli praeceptor eius non fuisset. [*z*]. 2) Qui annos quadraginta nondum sit natus, responsa ne det in vrbe, quae se doctiorem incolam habeat (*a*), a quo vel nihil didicerit. 3) Vel peritissimus responsum ne det, *vbi potu generosiori se inebriarit* [*b*] 4.) Ne quis rem, quam licitam esse multi mirentur, licitam declaret [אסור לחכם להתיר רבר התמוה]: Ne vetitum pro licito declarare videatur. (*c*) Quia *rem vel licitam intermittere praestat, si ea ceteri offendantur* [*d*]. 5.) Quam

Circumspectio in dandis responsis.

rem.

(*x*) Prou. VII, 26.
(*y*) Abhodah sarah, fol. 19, 2.
(*z*) Brachoth, fol. 31, 2. Conf. Tosephoth ad h. l.
[*a*] Abhodah sarah, fol. 19, 2.
[*b*] Erubhin, fol. 64, 1.
[*c*] Sanhedrin, fol. 5, 2.
[*d*] 1. Cor. VI, 12: Πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει.

rem eruditorum *alter vt vetitam interdixit* (*e*); hanc, si licitam esse per traditionem nouerit, permittere potest alter. Quodsi vero per traditionem illi de eo non constet, sed *subductis rationibus* (משיקול דעתו) ita iudicet; *licitam ne declaret.* Vnde enim se altero rectius rationes subduxisse nouit? Adire tamen alterum possit, & disputatione explorare, vtrius praeferenda sententia sit. 6) Hinc quem re aliqua eruditus vnus interdixit, adire quidem alterum possit, auditum, illene eam sit permissurus. (*f*) Ne tamen alterum eam illicitam pronunciasse, reticeat. 7] Similiter *re, quam permisit alter, ne quem, ex suo ipsius iudicio* (משיקול דעתו), *interdicat alter.*

Fides viris doctis est habenda.

§. 133. Si quis vir doctus *decisionem* (הלכה) *a praeceptore acceptam*, proponat, *fides illi adhibeatur.* Disputans contra aliquem (שמריב עמו) si ea sit impudentia, vt dicere non vereatur: איני מקבל ממך אפילו אם היית כמשה רבינו „ fidem tibi non adhibiturus essem, si vel Mosi docto„ ri nostro similis esses„; fustigetur (*g*): quia legis contemtor est. (משום בזיון תורה.) Perinde enim est, acsi diceret, se neque ipsi Mosi fidem esse adhibiturum. Quodsi tamen *in sua ipsius causa* quis, *ad traditionem prouocans*, dicat: כך קבלתי, *Ita traditum accepi*; fides ipsi non habetur. Par ratio rerum est, quae *per ratiocinium* (מסברא רגפשיה) inuestigantur. In alterius causa fide dignus est (שומעין לו). In sua ipsius sophismatum suspectus habetur.

Eruditi ne

§. 134. In maximis criminibus est, *viros doctos contumelioſe*

(*e*) Chulin, fol. 44, 2.
(*f*) Abhodah sarah, fol. 7, 1.
(*g*) Vid. בות יוסף ad Tur Ioreh deah, fol. 222, 1.

lioſe habere. (לבזות). (*h*) Veriſſimeque contendunt, hanc *Hieroſolymorum excidii cauſam* fuiſſe, quod eruditi contumelioſe habiti fuerint (*i*). Quin grauius quid dicunt: contumelioſe habeantur.

כל המבזה את החכמים אין לו חלק לעה"ב והוא בכלל כי דבר ה' בזה

Quicunque contemnit ſapientes, vitae aeternae particeps non fiet; eſtque in iis, (de quibus Num. XV, 31. dicitur:) *Verbum enim Dei contemſit.* (*k*). Si quis huius delicti, tempore Gemaricorum doctorum, ſe reum feciſſet, *libra auri multabatur* (קונסין את המבזה ת"ח ליטרא דדהבא) eaque pecunia laeſo dabatur (*l*). Id vero hodie in deſuetudinem venit. *Anathemate* quoque *punitur* (מנדין אותו); niſi eruditus ab illo laeſus ipſi condonaverit; neque reſecratur, (ואין מתירין לו) donec eruditum placauerit (עד שירצה את החכם); (*m*) vel ſi poſt eruditi obitum iniurius in ipſum fuerit, donec ſerio reſipiſcat (עד שיחזור בתשובה הגלויה). *Akabja filius Mahalaleelis*, quod de Schemaia & Abhtalione dudum mortuis irreuerenter locutus erat, anathemate fuit punitus, & cum non reſecratus diem ſuum obiret, loculum eius lapidibus petierunt. (*n*). Alii tamen aliter haec narrant. Olim *ipſe* quoque *eruditus*, contumelioſe ab homine inerudito (עם הארץ) habitus, *anathematis fulmine ferire* eum poterat (*o*) Neque *praemonitione* (התראה) vel *teſtibus* (עדות) opus erat; quia nemini iniuriam facturus credebatur.

(*h*) Sanhedr. fol. 99; 2. Schabbath, fol. 119, 2. 1 Cor. XVI, 10.
(*i*) Schabbath, fol. 119, 2. Matth. XXIII, 37 - 39.
(*k*) Matth. XII, 31. 32.
(*l*) Rabbenu Aſcher ad Babha kama, fol. 15, 4. Qui ad Talmud Hieroſolymitanum prouocat.
(*m*) Chulin, fol. 18, 1.
(*n*) Edüioth, cap. 5, 6. fol. 11, 1.
(*o*) Kidduſchin, fol. 70, 1.

batur. Et hic ab ipso illo erudito erat resecrandus; vel post illius obitum per tres alios. Non tamen laudabatur in viro docto, si ita ipse animaduerteret in eum, a quo *priuatim* (בכתר) esset laesus? Sin *publice* (בפרהסיא) factum esset; inultum dimittere non debebat (*p*); condonare tamen serio poenitenti & veniam petenti.

Operae seruiles ab erudito ne admittantur.

§. 135. Non minus delictum est, si quis *seruiles operas ab erudito sibi praestari* patiatur. (לשמש). Quod si tamen summa id requirat necessitas; minus peccatur, si opera illius abutatur, qui non nisi *vulgari doctrina sit instructus* (ששונה הלכות), quam qui *scientia philosophica* (ששונה הגמרא) (*q*). Apparet ex his, multo minus discipulum ferre debere, vt sibi seruiat magister. (*r*)

Doctus honoret doctiorem.

§. 136. Non solum ineruditi *honore afficere* tenentur eruditos; verum etiam DOCTVS vnus alterum, & maxime quidem se *doctiorem* (*s*). Hinc praecipitur, ne eruditus (תלמיד חכם), decori (דרך ארץ) & modestiae (מוסר) studiosus, viro doctiore praesente loquatur, si vel ab eo nihil didicerit.

Praeceptum, vt senibus & eruditis assurgatur.

§. 137. Dicitur in pentateucho: (*t*) מפני שיבה תקום והדרת פני זקן ויראת מאלהיך *Caniciei assurgito, & honorato senem; & timeto deum tuum.* His in verbis *duo praecepta* vident Judaei. Primum, vt *seni assurgatur;* secundum, vt *erudito.* Praecepti esse contendunt, vt vnicuique *seni, annos septuaginta nato,* si vel *ex imperita plebe* (עם הארץ) sit, assurgatur; *dummodo improbus non sit.* Improbum

(*p*) Act. XIII, 9-11.
(*q*) Megillah, fol. 28, 2.
(*r*) Haec causa erat, cur Petrus concedere nollet, vt Christus sibi pedes lauaret Joh. XIII. 6. 8.
(*s*) Babha mezia, fol. 33, 1.
(*t*) Lev. XIX, 32.

probum enim non honorari, ſed contemni debere (רשע לא צותה התורה לכבדו ורשע קלון יכוסה). Mitius de *ſene gentili* ſentiunt. De quo ita Talmudici: אפילו זקן עו"א נשוא פנים מהדרין אותו ברבים ונותנים לו יד לסומכו

„ Senex vel idololatra, ſi vir venerabilis ſit, verbis „ honorandus, manusque ipſi, vt ſuſtentetur, porri- „ genda eſt. „ De eruditis autem ita ſtatuunt: מצות עשה הוא על כל אדם שיקום מפני כל חכם אפי' אינו זקן בשנים אלא יניק וחכם ואפי' אינו רבו רק שהוא גדול ממנו וראוי ללמוד ממנו

„ Praeceptum iniunctiuum eſt, vt quilibet homo aſſur- „ gat cuiuis erudito; licet aetate prouectiori non ſit, „ ſed iuuenis eruditus; licet praeceptor ſuus non ſit, „ dummodo ſe dignior, a quo proficere poſſit.„ Dicas, in pentateuchi verbis de eruditis nihil praecipi. Significari enim per SEBHAH (שיבה) *virum decrepitum* (מופלג בזקנה), cui aſſurgendum ſit. Per SAKEN (זקן) autem *ſenem nondum decrepitum* [שאינו מופלג בזקנה,] cui non quidem ſit aſſurgendum, attamen honor aliquis exhibendus. Reſpondent, ſi ita ſe res haberet, hoc ordine verba poni debuiſſe: חקום מפני שיבה והדרת פני זקן *Aſſurgito caniciei, & honorato ſenem.* Quod cum factum non ſit, apparere, quod per SAKEN (זקן) *non ſenex annis* (זקן שנים), *ſed qui eruditionem acquiſiuerit* (זה שקנה חכמה,) ſit intelligendus, *verbaque ambo in medio* poſita eſſe, vt *ad vtrumque nomen vtrumque* referretur (*u*).

§. 138. Nondum omnia expoſuimus momenta, quae in verbis pentateuchi modo allatis quaerunt. Non ſolum Quomodo & quando aſſurgendum ſit.

(*u*) Kidduſchin, fol. 32, 2. 33, 1. 2.

ſolum *aſſurgendi officii* (קימה), verum etiam *honoris* (הידור), mentionem factam eſſe exiſtimant, vt intelligeretur, *honoris cauſa aſſurgendum eſſe* (קימה שיש בה הידור), Hinc ita praecipiunt: מאימתי חייב לקום מפניהם משיגיעו לתוך ארבע אמותיו ואינו יושב עד שיעברו מכנגד פניו *Quando aſſurgi illis debet? Vbi ad quatuor cubitorum diſtantiam acceſſerunt. Neque aſſideatur, donec praeterierint.* Secus enim ſi fieret, num illis aſſurgeretur, dubitari poſſet. Quae tamen regula ſuas patitur exceptiones. Neque vero illis, qui *in loco feceſſus* (בית הכסא) vel *balneo* (בית המרחץ) ſint, aſſurgant. At quid aſſurgendi vocabulo opus erat; cum, quem honores, ei aſſurgas? At vero opus erat, quia *honorandi vocabulum latius patet;* quippe *donis & argento honorari* quoque quis poteſt. Additur igitur aſſurgendi vocabulum; quo per *argumentum a combinatione* (היקש) concludatur, de nulla *honoris ſpecie* hic praecipi, niſi de ea, *vt aſſurgatur;* non adeo de honore, qui cum *pecuniae iactura* (חסרון כיס) ſit coniunctus. Jam vero de argumento a combinatione hoc axioma valere contendunt: אין היקש לחצאין רבכל מילי מקשינן *A combinatorum vno ad alterum non ſolum inferri debet; verum etiam ab hoc viciſſim ad illud.* Quemadmodum igitur per additum aſſurgendi vocabulum honoris exhibitioni limites ponuntur; ita viciſſim per honoris vocabulum aſſurgendi officio. Nusquam legitur, *operis intermiſſione* (בישול מלאכה) quenquam honorari. Ergo aſſurgendi officii par ratio eſt; demonſtratumque eſt, שאין בעלי אומניות חייבין לעמוד בפני תלמידי חכמים בשעה שעוסקין במלאכתן, *opifices eruditis adſurgere non teneri, vbi in opere faciendo ſint occupati.* Poſſint quidem, qui velint, iuri huic ſuo renunciare, ſi res ſuas tractent. Sin res alterius; facere id non debent. *Onus* enim *qui imponere ſua ſponte velit; ſibi id imponat,*

non

non aliis [אם יחמיר יחמיר בשלו]. Denique ex effati Mosaici verbis, *& timeto deum tuum*, cogitur, neminem *dissimulare* debere, se virum doctum aduentantem videre, (להעצים עיניו). Quippe deum id seuere vindicaturum. Vbi enim in sacris haec verba adiecta reperiantur, admoneri homines, *ne vafritie*, qua homines decipere possint, *impune leges transgredi tentent;* Dei omniscientiam non falsuri. Dispar est ratio, si quis, sene vel viro docto veniente, *in legis studio sit occupatus* (עוסק בתורה). Is, legis studio tantisper sepositio, illi assurgat. Cum enim eruditionis finis is sit, vt praecepta obseruentur; (§. 43.) *a studio suo cessasse non est censendus.* (אינו מבטל תורתו) Obseruant denique, nullum esse discrimen, siue pedes is incedat, cui sit assurgendum; siue equitet. (קיימא לן רוכב כמהלך דמי) [w].

§. 139. *Vir eximiae* prorsus *eruditionis* [מופלג בחכמה] illi, qui se inferior est [שהוא קטן ממנו], assurgere omnino non debet: ne quid suo ipsius detrahat honori [שהוא מזלזל בכבודו]. Si *vir doctus iuuenis* [יניק וחכים] *& senex* [זקן] *concurrant;* neuter alteri toto corpore, sed honoris causa paululum tantummodo assurgat [בקצת קימה של הירור]: Quia sua vtrique est praerogatiua. *Plurium senum* [זקנים] *pluriumue virorum doctorum* [חכמים], alter alteri ne assurgat; sed sibi inuicem leui aliqua corporis inclinatione honorem deferant [יעשה לו קצת הירור]. Id quod praeceptor discipulo quoque facere tenetur.

Quis assurgere alteri non teneatur

§. 140. *Imperita plebs* [בני ארם] & *omni seni* [הזקן המופלג] qui eruditus non sit, & *omni erudito*, si vel iuuenis & doctrina non nisi leuiter sit tinctus [החכם שהוא יניק וחכים סתם]

Quis assurgere teneatur.

pleno

(w) Ibid.

pleno corpore [מלא קומתו] assurgat. *Virum* quoque *eximiae eruditionis* [מופלג בחכמה] *viro pio & religioso* [מי שהוא חסיד ובעל מעשים] [x], licet is doctrina a se longe superetur [אפילו קשן ממנו], adsurgere decet [y]. Cuius rei haec datur ratio: שאין זה זלזול בכבודו רחסידות ומעשים מעלה גדולה היא באדם שלא צותה התורה לעמוד מפני החכם אלא שהחכמה מביאה לידי מעשים. *Non enim hoc ipso suo detrahit honori. Magna enim in homine perfectio probitas & religiositas est. Et quod pentateuchus eruditis assurgere iniunxit, ideo est factum, quod doctrina ad religionem manuducit.*

Quando assurgi debeat.

§. 141. Viro erudito, *qui praecipuus praeceptor non sit*, ne assurgatur, donec ad *quatuor cubitorum distantiam* peruenerit, & *vbi praeterierit*, *assideatur*. Viri autem, qui *doctrinae lux* sit, eadem quae praeceptoris ratio est. (רינו כרבו). Decreuerunt etiam sapientes, vt iidem assurgendi honoris (מדרגות הקימה), qui *magistratuum* gradus essent (לפי מדרגות המעלות שנמצאו בין החכמים).

Quando assurgeretur Synedrii praesidi.

§. 142. *Summi tribunalis praesidi* (נשיא) assurgebatur, *quam primum conspici posset*; nec assidebatur, donec vel ipse *consedisset*, vel *oculis se subtraxisset*. (מלא עיניו ואינו יושב עד שישב במקומו או עד שיתכסה מעיניו) [z] Non aliter atque Mosi, qui summus iudex (נשיא) erat, est factum. *Auditorium* (בית המדרש) *ingredienti ab omnibus & singulis* assurgebatur; neque assidebant, donec ille dixisset: *Assidete* (שבו) [a]. Quoniam enim ille principis personam

(x) בעל מעשים: Act. IX, 36. Αὕτη ἦν πλήρης ἀγαθῶν ἔργων.
(y) Schabbath, fol. 31, 2.
(z) Kidduschin, fol. 33, 2.
(a) Horiioth, fol. 13, 2.

nam ſuſtinebat, illius erat imperare (שהרי הוא נגיד ומצוה עליהם).

§. 143. *Secundo ſummi tribunalis praeſidi* (אב בית דין) aſ- Quomodo
ſurgebatur, *quam primum conſpici poſſet*; aſſidebatur au- Vicepraeſidi.
tem, vbi *quatuor cubitorum diſtantiam eſſet egreſſus* (משיראנו מרחוק מלא עיניו עד שיעבור מלפניו ד' אמות) [*b*]. *Auditorium ingreſſo* aſſurgebant *ab vtroque latere* ſoli illi, per quos pertranſibat; & hi non niſi vbi ille *conſediſſet* aſſidebant; ceteri autem non aſſurgebant. (עושין לו שורות עומדין מכאן ומכאן עד שישב במקומו ושאר העם יושבין במקומן

[*c*]. Indigne aliquando tulit *Rabban Gamaliel Jabhnenſis*, quod eodem modo, quo ſibi, Vice-Praeſidi *R. Nathani & R. Meiro* ſapienti aſſurrectum fuiſſet; & ne id deinceps fieret interdixit [*d*].

§. 144. Si *tertius tribunalis ſupremi iudex*, vel ſi quis Quomodo
vir doctus alius praeterierit; adſurgebatur, vbi ad *quatuor* Sapienti.
cubitorum diſtantiam peruenisſet; & vbi ad quatuor cubitos receſſiſſet, aſſidebatur. (עומד מלפניו ארבע אמות וכיון שעבר ארבע אמות יושב) [*e*]. Hic ſi *auditorium ingrederetur* aſſurrexit ei, *ad quem ad quatuor cubitorum diſtantiam acceſſerat*, conſeditque vbi praeteriiſſet. Erant igitur, qui aſſurgerent; erantque, qui aſſiderent, donec ad locum ſuum peruenisſet (כל מי שיגיע לו לר' אמותיו עומד מלפניו אחר עומד ואחר יושב עד שנכנס במקומו) (*f*).

§. 145.

[*b*] Kidduſchin, fol. 33, 2.
[*c*] Horiioth, fol. 13, 2.
[*d*] Ibid.
[*e*] Kidduſchiu, fol. 33, 2.
[*f*] Horiioth, fol. 13, 2.

Honor ſtudioſis habendus.

§. 145. Hac quoque *ſtudioſi* (תלמידי חכמים), quoniam multi eorum opera indigebant, praerogatiua gaudebant, vt per coetum plebis penetrantes (מפסיעים על ראשי העם), *locum ſuum* quilibet *occuparent.* (נכנסים למקומם) Non tamen in iis laudabatur, ſi ſerius venirent. (*g*) Si auditorio egredi neceſſe haberent, vel ad naturae opus faciendum [לגרולים]; via egredientibus & reuertentibus erat aperienda.

Honor filiorum eruditorum.

§. 146. Idem honor *virorum eruditorum filiis* [בני חכמים] deferebatur. *Virorum, qui coetui praeeſſent,* (ממונים פרנסים על הצבור), *filii,* in honorem patrum, *locum illis proximum occupabant*; facie patribus obuerſa, ſi, quae proponerentur, iam intelligerent (שיש בהם דעת לשמוע); ſin id nondum intelligerent, vultu coetui obuerſo. (*h*)

Concurſus ſenum & eruditorum.

§. 147. Si vir ſenex & doctus concurrant; annorum, doctrinae & locorum habeatur ratio. [1] Si vir eximiae eruditionis iuuenis (חכם שמופלג בחכמה והוא בחור) *& vir decrepitus, doctrina* autem *inferior* (זקן שמופלג בזקנה והוא חכם קצת) vel *in tribunali vel auditorio academico* (בישיבה של דין או של תירה) concurrant; *iuuenis* ille *doctior primas teneat*, priorque ſententiam dicat. [*i*] (2) Sin iidem *in celebritate* quadam (במסיבה) vna ſint, vt in conuiuio vel nuptiis (במסיבת של משתה או של נישואין); primum locum occupet ſenex. (*k*) (3) Perfectae doctrinae erudito (מופלג בחכמה) vbique locorum *cedere* cogitur *ineuntis ſenectutis ſenex* (שאינו מופלג בזקנה) (4) Contra ea *ſeni decrepito* (מופלג בזקנה) *praecedentiam* vbique *concedat mediocriter eruditus,* (שאינו מופלג בחכמה)

(5) *Si*

(*g*) Megillah, fol. 27, 2. Conf. Raſchi ad h. l. Brachoth, fol. 43, 2. Iebhamoth, fol. 105, 2.
(*h*) Horiioth, fol. 13, 2.
(*i*) Babha bathra, fol. 120, 1.
(*k*) Ibid.

[5] *Si vterque mediocriter doctus* (חכם קצת) ſit; nusquam non *iuuenem vincit ſenex*: licet doctior iuuenis ſit. (6) Quin ſenex illiteratus praecedit iuuenem doctrina non admodum imbutum. (בחור חכם קצת)

§. 148. Ne vir doctus, vbi hominum globum videat, *vltro citroque commeando*, praeter neceſſitatem aſſurgendi iis *moleſtiam creet*, (לא להטריח). (*l*) Quin ſi illuc eundum ſit; *viae compendium* [קצרה] quam breuiſſimum quaerat, quo aſſurgere teneantur pauciores: vel ſi per *ambages* eorum euitare occurſum poſſit, (להקיף הדרך), id faciat, quo nulli. Cuius officii & hi verbis, Lev. XIX, 32. *& timeto deum tuum*, admoneri creduntur. Axioma denique eſt: חכם שמחל על כבודו כבודו מחול ſi ab obſer„uantiae cultu ſibi debito ceteros liberare velit vir do„ctus; facere id poſſit.„*(m)* Quodſi vero id fecerit, *obſeruantiae immemores illi neſint*; quin aliqua ſaltem corporis inclinatione, vt aſſurrecturi, ſuam illius reuerentiam teſtentur. (לקום מפניהם קצת). Eruditorum modeſtia.

§. 149. In foro ſtandum eſt partibus litigantibus; quoniam ſcriptum eſt: (*n*] Et ſtent duo illi viri, quibus cauſa eſt, coram deo. Attamen eruditi cauſam habentes ſedere iubentur. (*o*) Quoniam praeceptum de ſuſpicienda doctrina dignius eſt: (עשה רכבור תורה עדיף). Eadem de cauſa poſtulare poteſt eruditus, *vt lis ſua primo loco decidatur* (*p*) & dicere: עורבא מרבנן אנא שרי לי תגראי בריש„, Candida- Eruditorum praerogatiuae in foro.

(*l*) Kidduſchin, fol. 32, 2. 33, 1.

(*m*) Kidduſchin, fol. 32, 1. 2.

(*n*) Deut. XIX, 17.

(*o*) Schabbath, fol. 30, 1. 2.

(*p*) Ibid. Nedarim, fol. 62, 1.

„didatus ego ſum; litem meam primo loco componi-
„to. „ Nec obſtat, quod ſcriptum eſt: (q) „Nullum diſcri-
„men in examinandis cauſis ignobiliorum & nobiliorum
„facitote. „

In mercatura.

§. 150. Praeceperunt doctores Talmudici, ſi quas *merces venum exponat* (סחורה למכור) *eruditus*; ne qui ceterorum vendere quid ante audeant, quam ille ſuas vendiderit: (r) Quo ſtatim ad ſtudia reuerti poſſit. Quod tamen in nundinis, vbi gentiles (ע"א) merces quoque venales habeant, valere debere negant.

In oneribus publicis.

§. 151. Plerisque operis & oneribus publicis eximuntur eruditi illi, qui ſemper in literarum ſtudio ſunt occupati (שתורתם אומנותם), & qui opificio vel mercatura non niſi ad neceſſarium victum quaerendum (להתפרנס כדי חייו) vtuntur. (1) Eruditi, ne vulgo contemtui ſint, *operas contemtibiles* (רבר שהוא גנאי), ſi vel respublica iis indigeat, ne faciant. Neque vero alios, qui ſuo loco eas faciant, conducere tenentur. [2] Quodſi vero ad conducendos, qui operas faciant, quae *ad vitae ſuſtentationem* pertineant [רבר שהוא צריך לחיי האדם] a tota ciuitate pecuniae conferantur; *eruditi* hi ſuam quotam *ſoluere* quoque tenentur. [3] Diſpar ratio eſt, ſi ad *defenſionem reipublicae* (נטירותא) ſumtus ſint faciendi [s], vt exſtruendis muris & propugnaculis,

(q) Deut. I, 17.

(r) Babha bathra, fol. 22, 1.

(s) Babha bathra, fol. 7, 2. 8, 1.

lis, vt ſtipendio militum (שכר השומרים). Ab his *immunes eruditi* ſunto; quia, *lex illis pro praefidio eſt* (שתורתן משמרתם). Sequentibus codicis ſacri effatis id probant. Moſis: (*t*) *Diligis gentes: Omnes ſancti eius ſunt in manu tua.* Hoſea (*u*): *Licet mercede conduxerint gentes, congregabo tamen eos. Gementque parum ſub iugo regis principum.* Et illo hagiographorum: (*w*) *Tributum ex opibus, capitationis & vectigal nemo illis imponere potis eſto.* Viris Synagogae magnae hoc a Dario conceſſum fuiſſe beneficium tradunt. (4) Ab omnibus igitur *tributorum ſpeciebus* (מיני מסים vel אכרגא) *eruditos abſoluunt.* (*x*) Quae pro illis vrbis, quam incolant, ciues, ſiue velint ſiue nolint, ſi vel contrarium ipſe princeps ſtatuerit, ſoluere teneantur. Neque intereſt, *diues* eruditus ſit, an *pauper.* Viri enim Synagogae magnae & ipſi diuites fuiſſe traduntur. Minime tamen haec valent de eruditis illis, qui, vr diuitias corradant, mercaturae operam dant (מתעסקים במשא ומתן כדי להתעשר). Qui enim legis iugum excutiat (משליך עול תורה ושמירתם לאחוריו), is ceterorum iugo collum vt ſubdat aequum eſt (חייב לישא בעול עם השאר). Excipiunt quoque improbos. Quippe ita ratiocinantur: לא אמר הכתוב לפטור

אלא כל קדושיו שמקדשים שם שמים ואין פורענות באה
לעולם בשבילם: יצאו כאילו שמוזלים שם שמים

Non

[*t*] Deut. XXXIII, 3.

[*u*] Hoſ. VIII, 10.

[*w*] Eſr. VII, 24.

(*x*) Nedarim, fol. 62, 2.

„ Non iussit codex facer immunitate donare nisi o-
„ mnes sanctos eius, qui nomen Dei reuerenter ha-
„ beant, nec vindictae diuinae orbi immissae causa
„ sint. Excipiuntur igitur, qui nomen Dei reueren-
„ ter non habent. „

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Waehner, Andreas Georg

Diss. inaug. philol. de eruditione Iudaica

Gottinga 1742

4 Diss. 578#Beibd.16
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10657865-6
VD18 15106934-001